CL. ESPENCAEI THEOLOGI PARISIENSIS, SACRARVM Heroïdum Liber:

Cum Præfatione, de profectu ex Gentilium librorũ lectione percipiendo: & Scholiis in ſingulas Epiſtolas, eorum præſertim quæ ad Theologiam pertinent.



BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

PARISIIS,
Apud Federicum Morellum, in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.
1564.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Epiſtolarum, quæ in hoc libello continentur, catalogus.

I. *Tabitha Petro.*

II. *Druſiana Ioanni.*

III. *Thecla Paulo.*

IIII. *Iphigenia Matthæo.*

V. *Hyrtacus Iphigeniæ.*

VI. *Iphigenia Hyrtaco.*

VII. *Suſanna Iudææ matronis.*

Priuilegij ſententia.

CAVTVM eſt autoritate Franciſci II. Francorum Regis, n equiſquam alius, ante decenniũ ab irrogatione Priuilegij proximum, Opera vlla Claudij Eſpencæi Theologi Pariſienſis, excudat, néue vendat, præter eum Typographum cui excudenda Autor ipſe dederit. Qui ſecus fecerit, libris, & pœna in ſanctione æſtimata multabitur. Priuilegium Aureliis irrogatum XXI. Nouembris, Anno M. D. L X.

Per Regem, Cárdinale Lotaring. præſente.

ROBERTET.

DE PROFECTV EX GENTILIVM LIBRORVM *lectione percipiendo, ad Chri- ſtianum Lectorem.*

QVVM hoc anno, poſt pa- 1563.
cis licet edictum, nō mi-
nus quàm ſuperiore, in-
ter arma ſilerent leges, ia-
cerent literæ, ceſſarent ty-
pographiæ, neque meis imprimēdis lo-
cus eſſet, quæ qualiacunque, magis ta-
men tum ſeria, tum inſtituto meo pro-
pinqua, diutius quàm volo, vel ab a-
micis rogor, premo, atque parturio, &
hoc demùm menſe pario, neſcio quo-
modo factum eſt, vt cum humaniori-
bus literis redirem in gratiam, & ad poë-
ſim veterem velut amicam ſenex me re-
ferrem, cúmque illa, quam vel puer ve-
hementer amaueram, veluti repueraſce-
rem. Neque verò nullo patrum, & qui-

dem grauiſſimorum, exemplo feci, Auguſtini memor, Licentium ſuũ ad manſuetiores muſas, ad quas ceu nugas redire illum pigebat & pudebat, ita reuo-
De ordine lib.1.cap.8 cantis: Redeundum, inquit, tibi eſt ad illos verſus. Nam eruditio diſciplinarũ liberalium modeſta ſanè atque ſuccincta, & alacriores, & perſeuerãtiores, & comptiores exhibet amplectendæ veritati, vt & ardentius appetant, & conſtantius inſequantur, & inhæreant poſtremò
1.Cor.8. 1.Tim.1. 4.6. 2.Tim.2. dulci⁹. Ne tamẽ in idoleio, quod ꝓhibet Paulus, recumberem, & ſenior & theologus, fabulas, eiuſdem conſilio, & profana deuitaui, ut labor hic qualiſcunque meus, in Chriſti Domini familiam vel tantillum proficeret, & numerum conſeruorum augeret. Atque vtinam poëtę noſtrates, quorum hodie tantus eſt prouentus, à profanis tandem abſtinere in-
1.Reg.2. cipiant, & venas, non ſanè nullo, Dei ſcientiarum Domini, munere, adeò diuites,

& aureas, perpetuo idolorum gentilium luto ne vltrò pergant aſpergere, imò cõſpurcare, certè ne ea ſic ſola tractent, vt in ſola eorum lectione videri poſsint & cõſeneſcere, & cõquieſcere. Quod Hieronymo iam tum dolebat, ſui ſeculi ſacerdotes omiſsis Euangeliis & prophetis, amatoria ſola, & id genus alia, nõ legere tantùm, ſed & canere. Sunt Auguſtino poſt Origenem poëtarum carmina typicę Ægypti ranę, vt qui vana quadam & inflata modulatione, ceu ranarum clamoribus importunis, & cãtibus improbis coaxantium, ſimiles mundo huic deceptionis fabulas intulerunt. Sũt & Hieronymo interprete, velut quædã porcorum ſiliquæ, quibus prodigus ille ventrem ſaburrabat, & non ſatiabat, vt quæ ſuauitate delectent, & dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, & in animam quoque penetrent, & pectoris interna deuinciant,

Ad Damaſ Diſt. 37. ca. Sacerdotes.

Exod. 8. homil. 4. Ser. 87. De Tẽpore.

Luc. 15.

vt, ſummo licet ſtudio ac labore perle-
cta, nil niſi ſonum inanem, & verborum
ſtrepitum miſeris & otioſis tribuant le-
ctoribus, qui eorum ſtudioſi, nulla in iis
veritatis ſatietate, & iuſtitiæ refectione
inuenta, in fame veri & virtutum penu-
ria perſeuerent. Quod alibi, & eodem
Eph. 4. exponēte, vetat Apoſtolus, Chriſtianos
Ca. Nōne. gentilium inſtar, in vanitate ſenſus am-
bulare. Et nónne (ait) vobis videtur in
vanitate ſenſus, obſcuritate mentis, &
cæcitate cordis ingredi, qui tantam me-
trorum ſyluam in ſuo ſtudioſius corde
diſtinguit & congerit? Magis verò, vbi
teneram ætatem in Domini diſciplina
Eph. 6. educandam Paulus ſcripſit, in eundem
Ca. Legāt. idem aſcripſit Hieronymus, Legant epiſ
copi & preſbyteri, qui pueros ſeculari-
bus tantùm literis erudiunt, & faciunt
comica legere, & mimorum turpia ſcri-
pta cātare, de eccleſiaſticis forſitan ſum-
ptibus eruditos, & quod in Corbanam

pro peccato virgo vel vidua, vel totam ſubſtãtiam ſuam quilibet pauper effundens obtulerit, hoc in Calendariam ſtrenam, & Saturnalitiam ſportulam, & Mineruale munus, grammaticus & orator in ſumptus domeſticos, & ſordida lucra, ne dicam ſcorta, conuertat? Quid ergo? Tu iuniores ſenior, poëtas verſificator, poëmata profana attingere, legere, vel prælegere, aut etiam pangere in totum prohibes? Minimè verò. Sed vt pergam, quando ſemel Hieronymũ cõpilare cœpi, eiuſdem monitis literaturam ſecularem, maximè autem poëſim, pro veteri mulierculæ captiuæ ritu typóq; tractari velim. De qua diuina vox per Moſem ſic præceperat, vt ſi victor Iſraëlites ducere vellet vxorẽ, eam primùm decaluaret, & caput ei raderet, ſupercilia, pilos, & vngues præſecaret: ita caluitio facto, & corporis tum ſuperfluis, tum emortuis particulis ampu-

Ad Dama Pãmachiũ Magnum Orig. homil. 7. in Leuitic.

Deut. 21.

tatis, mundam̄ factam, in coniugio habendam, eſſe in victoris amplexus tranſituram. Et nos ergo, ſi quando ſecularis vel philoſophiæ, vel hiſtoriæ, vel rhetorices, vel poëſeos amore propter eloquij uenuſtatem capimur, ſic vt eam familiarē, & quaſi coniugē habere cupiamus, ne non tantùm capiamur, uerùm etiam decipiamur, primùm quidem quicquid in ea mortuum eſt, idololatriæ, erroris, uoluptatis, libidinum radamus: ſi quid de idolis, amoribus, & id genus gẽtilitiis ſuperfluum reperimus, his uelut caluitium inducamus, hæc in vnguium morem, quaſi ferro acutiſſimo ſecemus, tum uerborũ illecebris magis quàm ornamentis reſectis, ita omni ſordium
Hier. 2. errore purgatam, & prophetico nitro ablutam, ex captiua liberam, ex ancilla heram & vxorem, ex Moabitide Iſraëlitidem factam amplexemur: ita nobis, uel Chriſto potius, & Eccleſiæ, fœtus

multos & puros, pulchróſque liberos, daturam & genituram. Equidem non minus noſtrà quàm Iudæorum referre puto, ut per deorum externorum nomẽ non modò non iuremus, ſed ne ipſum quidem memoremus aut uſurpemus. Non audietur ex ore ueſtro, aiebat veteri populo Moſes, quod & in nouo futurum promiſit propheta, uel potius per prophetam noſter & illorum Deus. Ita nimirum auferenda, eradẽdáque de ore, ut Synagogæ, ſic Eccleſiæ, nomina Baalim, ut nulla fiat eorum amplius uel mentio, uel recordatio. Et hoc illud eſt quod ita Paulus prohibet, Fornicatio & omnis immunditia, nec nominetur quidem inter uos, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo ſeu obſcœnitas, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, uel dicacitas potius, & maledicentia, quæ ad rem neque pertinẽt, neque conueniunt: ſed magis gratiarum actio. Abſit ergo (exclamat

Exod. 23.

Oſe. 2.

Eph. 5.

vbi anteà ſacer Hieronymus) abſit, in-
quam, vt os Chriſtianum ſonet, Iuppi-
ter omnipotens, & Mehercule; & Meca-
ſtor, & cætera magis portenta quàm nu-
Ad Euſtochium. mina. Quid facit cum pſalterio Hora-
tius, cum Euangeliis Maro, cum Apo-
ſtolis Cicero? Et extat in canonibus ec-
Can. 16. Ca. Epiſc. cleſiaſticis ex Cõcilio Carthaginẽſi IIII.
vt Epiſcopus Gentilium libros nõ legat.
Quod qui tum prohibuere patres, mul-
tò certè minus tuliſſent quoſdam hodie
clericos, nec minoris tantùm, ſed & ma-
ioris ordinis ſacerdotes, ἐρωτικὰ, imò σω-
ταδικὰ καὶ συβαριτικὰ, & huiuſmodi cãtil-
lantes: denique quorum palato nullum
carminis genus ſapiat, niſi quod idem
pruriat. At verò vetus Grçcorum Eccle-
Nicepho. lib. 12. cap. 34. ſia Heliodori Tricenſis Epiſcopi libel-
los amatorios, quorum lectione, quòd
amores accenderent, iuuentus in peri-
culum coniiceretur, in prouinciali Sy-
nodo ſtatuit igni abolendos, uel autori,

qui eos licet iuuenis compoſuiſſet, functionem epiſcopalem abrogandam. Ille uerò epiſcopatu abire, quàm poëma ſuũ ſupprimere maluit: & hoc quoque tempore circunferuntur, quæ Æthiopica inſcripſit. Modeſtius multò & magis Chriſtianè, antè annos abhinc plus minus cẽtum, ex Ænea Syluio Pium II. pœnitebat tractatuli, quem de amore iuuenis ſenſu pariter ac ætate ſcripſerat, quòd duorũ quę in eo libello continentur, alterum quidẽ, nimis uidelicet prurientem amoris hiſtoriolã, nimis multi ſectarentur: alterum, morale, quod eam ſequitur, ædificans dogma, penè nulli. ita & natura & indulgentia deprauatum infatuatúmque infœlix eſt mortalium genus. Quid igitur ex poëta non minimo pontifex maximus? Seni (ait) magis quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris quàm pontificem facite: Æneã reiicite, Pium ſuſcipite, &c. Scio

Epiſtola 114.& 39

quantò modis omnibus ſuperior ac prę-ſtantior ſit Maro Mantuanus Baptiſta Mantuano: non deeſt tamen vbi hunc quàm illum prætextatis annis legi mallim, & quo opuſculo poëtas impudicè ſcripturientes meritò non ita pridem flagellauit, non uerè minus quàm Chriſtianè concluſit,

Tunc ego te vatis dignum cognomine dicam,
Tunc tua cantari digna poëſis erit,
Tũc helicona bibes, caſtiſq; rigabere lymphis,
Si venus in uerſu non erit ulla tuo.

Cauendum igitur cùm Chriſtianis omnibus, tum uel maximè bonarum literarum profeſſoribus, ne id quod in pueris neceſſitatis eſt, ut poëtas teneant ac terant, legant & audiant, crimen in ſe ac auditoribus uel erroris uel uoluptatis faciant. Et hinc enim peti diſcíque uerba, hinc acquiri eloquentiam rebus perſuadendis, ſententiiſque explicandis pernéceſſariam, uerè ac meritò agnoſcebat

Auguſtinus. Nec uerò nos uerba accuſamus, quaſi uaſa precioſa, ſed erroris uinum, quod in eis iuuentuti propinatur à non ſobriis magiſtris, ne cum eo dicam à doctoribus ebriis, quod niſi biberint auditores, cæduntur, ut nec ad ſobrium iudicem liceat appellare: & qui hęc contrà libenter diſcunt, & in eis miſelli delectantur, bonę ſpei adoleſcentes appellantur. Nec enim uel falsò uel immeritò eidem dolebat, aut non cum eo & eius exemplo, nobis dolendum eſt, quòd dum leges Grammaticorum magis quàm Dei præcepta ſeruanda magiſtri curant, linguæ quoque magis quàm morum barbariſmum diſcipuli timent atq; cauent. Vide (inquit) Domine Deus, & patienter, ut uides, uide, quomodo diligenter obſeruent filij hominum pacta literarum & ſyllabarum à prioribus locutoribus accepta, & à te accepta perpetuæ ſalutis pacta negligant, ut qui facta

Confeſſionum lib. 1. ca. 16.

Cap. 18. 19

ſua non mala cum ſolœciſmo enũcient, reprehenſi confundantur, libidines autem ſuas integris & ritè conſequentibus uerbis copiosè, ornatéque qui narrent, laudati glorientur: & qui ſonorum uetera placita uel teneat uel doceat, ſi contra grammaticam diſciplinã ſine aſpiratione ominem dixerit, magis quàm ſi hominem homo oderit, hominibus diſpliceat. Et certè non eſt interior literarũ
ob.4. ſcientia, quàm ſcripta conſcientia, id ſe
Matt.7. alteri facere, quod nolit pati. Et homo tamen dum eloquentiæ famam quærit, aſtans ante hominem iudicem, circunſtante hominum multitudine, ne per linguæ errorem dicat, inter hominibus, uigilantiſſimè cauet: inimicum autem ſuum odio immaniſſimo inſectans, ne per mentis furorem hominem ex hominibus auferat, minimè pauet. Itaq; quod & facere utrique debẽt, auditores & magiſtri, quando in manus eorum libri ue-

niunt ſapientiæ ſecularis, ſi quid in eis
utile reperiunt,ad noſtrũ ſtatim dogma
conuertant:hoc enim uerè fuerit Ægy- Exo.11.12.
ptios & Babylonios ſuis opibus, uelut
iniuſtos & malę fidei poſſeſſores,ſuis ar-
mis ceu illegitimos bellatores ſpoliare,
quorum literis & diſciplinis Moſem & Dan.1.
Danielem legimus fuiſſe non leuiter tin Act.7.
ctos,ſed grauiter eruditos. Si quid uerò
non inutile modò,ſed & noxium, cuiuſ
modi tam multa ſunt uirulẽta, uenerea,
ſuperſtitioſa, & planè impia, tum ibi
Apoſtolica ſuccurrant, hæc nimirum &
ſimilia, Ne fabulis intendas, & ineptas & 1.Tim.1
aniles fabulas, & profana & uana deuita 4.6. 2.Tim.2.
ac reiice. Et,videte ne quis uos decipiat, Col.2.
ac ueluti deprędetur per philoſophiam.
Et,ſi quis uiderit eum qui ſcientiam ha- 1.Cor.8.
bet,in Idoleio recumbẽtem,nónne con-
ſcientia eius,cùm ſit infirma,ædificabi-
tur ad manducandum idolothyta, &
peribit? &c. Nónne tibi uidetur ſub aliis

verbis dicere, ne ſic legas philoſophos, oratores, poëtas, ut in eorum lectione requieſcas, & uelut ad Sireneos ſcopulos, inſeneſcas? Neque uerò nobis blandiamur, ſi quæ in eis ſcripta ſunt, non credimus, cùm puerorum fortè conſcientia infirma vulneretur, & uelut tabella nuda, potius quàm raſa, maculetur, & putemur probare, quæ dum legimus, non reprobamus: & offendiculum in noſtra eruditione patitur fraterculus atq; filiolus, pro quo Chriſtus mortuus eſt, cùm in ore Chriſtiani prçceptoris carmina in idolorum laudem cõpoſita audiet perſonare. Sit hoc & indignum & ſuperuacaneum, quo de in tanta Chriſtianiſmi luce, quem etiam cum lacte imbibimus, Chriſtianos moneamus, ſi nõ, quod ubi antè ſibi uſuueniſſe confitetur atque lamentatur Auguſtinus, tam hodie multi Æneam teneant,

Cap. 13.

Aeneid. 1. *Omnibus errantem terris & fluctibus,*

&

& quod ait illa, *-caſúſque tuorum, Erroréſque tuos,* ſuorum ipſi lapſuum errorúmque obliti, & *Extinctam, ferróque extrema ſecutam,* Didonem, inquam, nimio amore mortuam plorent & commiſerentur, extrema ipſi, & uiliſſima quæque creata, relicto creatore, ſequentes, & è terra in terram euntes, & in his à Deo vita noſtra, non eam amando, fornicãtes atque morientes, ſiccis oculis ſe ferant miſerrimi. Quid enim miſerius miſero non miſerante ſeipſum? & dulciſſimum ſit eiſdem vanitatis ſpectaculum, equus ligneus armatorum plenus, Troiæ incendium, *-atque ipſius vmbra Creuſæ.* Atque utinam hodie nemo ſit, qui nequam illius apud Comicum adoleſcentis exemplo, Iouis ſibi ad libidinem exemplum proponat, & ad eam quaſi cœleſti magiſterio ſeſe concitet, qui

Aeneid. 6.

In Eunuc. Act.3.Sc.5.

quia (inquit) *conſimilem luſerat*

Iam olim ille ludum, impendiò magis animus gaudebat mihi,
Deum ſeſe in hominem conuertiſſe, & fucum ita factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens.

Næ nõ per hanc turpitudinẽ verba iſta cõmodius diſcuntur, ſed per hæc uerba turpitudo iſta cõfidentius perpetratur. Eadẽ de re multo poſt Auguſtinũ ſubmonuit Opuſculum, quod Tripartitum inſcribitur, nec autoris nomen præfert, niſi quod poſt Lateranenſem ſub Innocentio III. & ante Conſtantienſem ſynodum collectum apparet, in ſcholis grammaticorum paſsim poëtarum libellos legi, quibus multa continentur ad libidinem prouocantia, quæque ſui auditu iuuenibus talium ſtudioſis magnæ ſint corruptionis occaſio. Et is quidem libellus ſic inter conciliares tomos

Lib. 3. cap. 10.

relatus eſt, ut huic tamen adeò conta-
gioſo cancro ferrũ conciliari autoritate
niſi admodum ſerò admotum legerim.
De quo mox videro. Sed & qua plerique
ſunt dementia & cæcitate, præ iſtis poë-
tarum titillationibus, odioſæ iis ſunt diſ-
ciplinæ multò tum honeſtiores, tũ ube-
riores, tũ magis etiã neceſſarię aliæ. Hæc
autem tria talibus cùm audiendis tũ le-
gendis obſeruanda, ut aurũ in luto quæ-
ramus, eruamus, repurgemus, & morũ
non minus quàm ſermonum curam ha-
beamus, & profana diſcamus non quæ
ſequamur, ſed iudicemus & conuinca-
mus, & extorto de manibus hoſtiũ gla- 1.Reg. 17.
dio quaſi Goliæ ſuperbiſſimi caput ſuo Hierony. ad Magnũ
potiſſimùm mucrone truncemus, ut in
his denique nugis, quæ tamen, fateor,
nugæ ſeria ducunt, modum tandem ali-
quem ſtatuamus, nec iam ſenes, non bis,
ut eſt in prouerbio, ſed ſemper pueri ſi-
mus: hæc, inquam, tria in autorum ex-

ternorum lectione & auſcultatione per-
Anno,1513 Seſſione 8. neceſſaria, non ita nuper Synodus Late-
ranenſis ſalutari cõſtitutione ſanciuit,&
per locorum ordinarios, ſtudiorúmque
generaliũ Rectores ſtatuit publicari, ut
qui ſeculares literas, philoſophiam im-
primis,nec dubium quin &(de qua pau-
lò pòſt ſubiicit) poëſim, vel in Acade-
miis,uel alibi publicè profitentur, pri-
mùm quidem in quibus ſcriptores illi à
fide deuiant: cuiuſmodi ſunt de animo-
rum mortalitate & mundi æternitate, &
ſi qui ſimiles ſcopuli occurrũt, auditori
bus ſuis contrariam Chriſtianæ religio-
nis veritatem pro uirili teſtatam ac ma-
nifeſtam faciant. Hoc autem non vno
modo fit,nec citatis tantùm veritatis di-
uinitus reuelatę ſacris teſtimoniis(quan-
quam ſic maximè, & ut loquuntur,per-
emptoriè)ſed victoriæ genus fuerit lon-
Saturnaliorũ lib.5. cap.3. gè pulcherrimũ, ſi quis noſtrûm, quod
quidam ait, uel Ioui fulmen, uel Her-

culi clauam, uel Homero uerſum ſubtrahat, &

Bis interimitur qui ſuis armis perit.

Suis igitur illi telis, nedum noſtris, repercutiendi, & quaſi publici ſacríque ærarij fures, repetundarum à nobis accuſandi. In quo cùm ueterũ patrum ſcripta alia, tum præcipuè regnant Clementis Pædagogus, & Stromata, Euſebij paraſceue, Lactantij inſtitutiones, Baſilij ad nepotes de legendis Gentilium libris opus, Theodoriti ueritatis Euangelicę ex gentium philoſophia demonſtratio, Hieronymi multa, ſed ad Magnum præcipuè oratorem Romanum huius argumẽti epiſtola, Auguſtini plura, ſed Dei maximè Ciuitas, & De doctrina Chriſtiana inſcripti libri. Tum eorum etiam argumenta, principia, cõcluſiones, cùm hęc indubiè omnia ſolui poſsint & quãlibet implicata explicari, atq; inani tantùm ueritatis ſpecie ac fuco fallãt, iidem

refellant, excludant, reſoluant. Id uerò
1.Cor. 1. uerè fuerit, cùm ſtultam Deus ita fecerit
& 3. huius mundi ſapiẽtiam, ut apud Deũ ſit
ſtultitia, & quod ſtultum eſt Dei, uel ma
gis illis uidetur, ſapientius ſit homini-
Iob. 5. bus: id inquam fuerit, ſapientiam ſapi-
Eſa. 29. entium perdere, & prudentiam pruden-
Abd. 1. tium reprobare, & ſapientes ſeu aſtutos
in aſtutia ſua comprehendere. Quod de
philoſophis dictum, & in philoſophos
exponi ſolitum, tantò magis in poëtas
conueniat, quòd eorum primi iidem
Lactant. li. fuiſſe ferũtur Theologi, & philoſophis
5. cap. 5. multò priores, & ante natum philoſo-
phiæ nomen pro ſapientibus habiti.
Poſtremò quia huiuſmodi ſtudia diu-
turniora, & nullo diuinæ ſapientiæ uel
ſale condita, uel lumine illuſtrata, in er-
rorem ſuapte magis natura, quàm in ve-
ritatem inducunt, noluit idem conci-
lium, eos præſertim qui ſacris ordinibus
initiarẽtur, inferioribus huiuſmodi diſ-

ciplinis inſudare, impalleſcere, ac multò minus immori, nullo ſuperiorum diſciplinarũ ſtudio, Theologiæ prę ſertim ac Iuris, ſed exacto in humanioribus literis ſolito quinquennio, ſiquidẽ in iis pergere uoluerint, ſic unà ſacris ſtudiis operam nauent, ut in his ſanctis & utilibus profeſsionibus Dei ſacerdotes inueniant, unde infectas & philoſophiæ & poëſeos radices repurgent, præſcindant, reuellant. Ac neſcio an canon Africus anteà citatus, Epiſcopos à gentilium librorũ non tam priuata lectione, quàm publica prę lectione arceat: ut meritò ſanè aliquammultò pòſt Gregorius ille uerè Magnus Deſiderio cuidam Galliæ Epiſcopo indignatus ſit, ſic eum nugis & ſecularibus literis ſtudere, ut & grammaticam quibuſdã exponeret: nec enim uno in ore capere ſe cum Iouis laudibus Chriſti laudes; & quàm graue ſit ac nefandum, Epiſcopos canere, quod nec re- Lib. 9. epiſtola 48. Diſ. 80. ca Cum mul

ligioſo laïco conueniat, conſiderandum ei relinquit, neu cor, osque ſuum blaſphemis nefariorum Deorum encomiis maculari ſinat. Tantum abeſt ut ex pon-

Epiſtol. in lib. moral. cap. 5.

tifice ludimagiſter euaſerit Gregorius, cuius illud circunfertur, indignum uehementer exiſtimo, ut uerba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. Quem tamen cùm Epiſcopus quidam

Extra de ætat. ordinand. ca. finali.

Calinenſis non legiſſe, neque grammaticen didiciſſe confeſſus eſſet, eum quaſi ſic de tanta illiteratura & inſufficientia euidenter conuictum, quantam in Epiſcopo tolerare eſſet contra Deum & canonicas ſanctiones, Honorius III. & pontificij officij executione, & Eccleſiæ adminiſtratione prorſus ſubmouerit.

Lib. 1. cap.

Adeò uerum eſt & ualet illud Fabij, Minima hæc minimè ignoranda, vt ſine quibus nullus ſit maioribus locus. Quid hic hodie faceret, ſi comperiret aliquot reuerendos, non iam patres, ſed pueros,

imò & pueros, ſed propè centenarios, Eſa.65.
qui neque literas, ut dicitur, neque natare nouerunt? Et quidam quidem non ſemel Abbates vel Epiſcopi, ſed multis Commendis, quas vocant, onuſti, & legere & ſcribere ad ſacerdotia non ſacerdotes promoti, uel tandem utcunque diſcunt, quidam etiam neſciunt. Sed quiritari deſino, neque enim præſentis eſt inſtituti. Et Eccleſiæ quidem paſtorum eſt ac doctorum, ſacras literas docere, non profanas. In Eccleſiæ ergo ſuggeſtu illud primorum paſtorum & doctorum obſeruent oportet, Si quis lo- 1.Pet.4.
quitur, tanquã Dei ſermones loquatur: &, ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto 2.Cor.2.
loquimur. Ergo in doctrina ſacræ ſcripturæ autoritatem præ ſe ferre, non uerò ſecularium literarum peritiam oſtentare decet, neque uerò tamen uel ut anguem, uel ut toxicum uitare. Quis enim neſciat, & in Moſe, & in pſalmis, & in

prophetarum voluminibus, & in hagiographis quædam de gentilium libris aſſumpta, aut potius, ut antè attigimus, per profanos ex ſacris uel mutuo ſumpta, uel plagio alienata, uindicanda, & quodam quaſi poſtliminij iure à nobis recipienda? Sed & Paulus Apoſtolus ductor Chriſtiani exercitus, & orator pro Chriſto inuictus cauſam agens, teſtes vocat
Act.17. poëtas, eorúmque modò hemiſtichia,
1.Cor.15. Tit.1. modò carmina integra in argumentum fidei torquet ac vſurpat. Et qui primùm poſt Apoſtolos, pro noſtra religione ſcripſerunt, ſic omnia eius dogmata teſtimoniis externis confirmarũt, ſic Chriſtianorum & gentium inter ſe ſententias contulerunt & comparauerunt, ſic gentilium doctrinis libros ſuos referſerunt, ſic vniuerſam Græcorum bibliothecam euoluerunt, & ſurſum deorſum excuſſerunt, ut neſcias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſeculi, an

ſcripturarum ſcientiam. Sed & Dominicam & Apoſtolicam hiſtoriam uerſibus quidam explicuerunt, nec pertimuerunt Euāgelicam maieſtatem ſub metri leges mittere. Sunt igitur ut profanis repurgandis ſacra neceſſaria, ſic ſacris intelligendis profana perutilia. Sic enim præter tam multa ſuperiora, cui bonam eorum partem debemus, D. Hieronymus rogatus & ſuggillatus, cur in operibus ſuis ſecularia interdum exempla poneret, & Eccleſiæ candorem Ethnicis ſordibus pollueret, ratione ſuperioribus argumentis reddita, oſtendit, & quatenus id liceat, & quorum id imitatione faciat. Hic, inquam, vir talis atque tantus, non erubuit inter puellaris infantiæ rudimenta ſic præſcribere, Diſcat Græcorum verſuum numerum, ſequatur ſtatim & Latina eruditio, quę ſi non ab initio tenerum os compoſuerit, in peregrinum ſonum lingua corrumpitur, & ex- Ad Lęta

ternis vitiis ſermo patrius ſordidatur. Et
ad Deme- alibi non dubitat pronunciare certò, Si
triad. rudes ſecularium literarũ de tractatibus
hominũ diſertorum quippiam legerint,
verboſitatem ſolùm diſcere, abſque notitia
ſcripturarũ, & iuxta vetus elogium,
cùm loqui neſciant, non poſſe tacere,
docere ſcripturas quas non intelligunt,
cúmque aliis perſuaſerint, eruditorum
ſibi aſſumere ſupercilia, prius imperitorum
magiſtros, quàm doctorum diſcipulos.
Idem cùm ad intelligendum Daniëlem
præfatus eſſet, multiplicem Græcorum
Latinorúmque hiſtoriã eſſe neceſſariam,
ſui uelut memor & ordinis &
ſenij, ſic ſe excuſat, Siquando cogimur
literarum ſecularium uelut recordari, &
aliqua ex his dicere, quæ commiſimus,
non noſtræ eſt voluntatis, ſed grauiſſimæ,
vt ita dicam, neceſſitatis, vt probemus
ea quæ à ſanctis prophetis ante
tot ſecula prædicta ſunt, gentium vtri-

uſque linguæ literis contineri. Sed & catalogi ſcriptorũ Eccleſiaſticorũ procœmium hac concludit reprehenſione: Diſcant Celſus, Porphyrius, Iulianus rabidi aduerſus Chriſtum canes, diſcant & eorum ſectatores, qui Eccleſiam putant nullos philoſophos & eloquentes habuiſſe doctores, quanti eam & quales viri fundauerint, extruxerint, ornauerint, & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguere, ſuámque potius imperitiam agnoſcant. Idem verò hodiéque diſcant, & ſe quales utique ſunt, moroſos, ἀμούσους, imperitos ſic agnoſcãt, vt & reſipiſcant, ſi qui ſacris Muſarum ſacra, adminicula & obſequia detrahãt, poëtriam, ſi Deo & Muſis placet, appellantes, quicquid ad politiorem literaturam pertinet. Et quando aliò atq; aliò volitantes, fortuitò in Iuliani mentionem incidimus, vtris tandem propiùs accedunt moroſophi iſti, aut ſimi-

liores ſunt, priſcíſne Eccleſiæ luminaribus, viris non minus eruditis quàm ſanctis, an verò huic impio & apoſtatæ principi? Cùm enim non paruum ei dolorem mouiſſent, eúmque haud mediocriter offendiſſent noſtri tum paſtores & doctores omni ſcientiarũ genere tam probè inſtructi, ut non ſui tantùm temporis ſcriptores, ſed ueterum quamplurimos & ingenij fœlicitate, & dicendi facultate partim æquarent, partim etiam vincerent, lege cauit, ne Chriſtianorum pueri liberalibus Græcorum diſciplinis inſtituerentur, neu poëtas, reliquóſque eorum ſcriptores legerent, aut ſcholas publicas frequentarent: Ne linguis (inquiebat) ſic acumine perpolitis, noſtris nos telis petentes, ſacra ſua amplificent, noſtra refellant, nobis facilè reſiſtãt, ſed & bellum inſuper moueant. Hîc mihi ſanctorum patrum prudentiam aduertite. Contra tyrannicam hanc legiſlatio-

...om. li. ... 18. ... Trip. ... c. 37. ...or. ...2p.

nem, omiſſis quidem, vt ſanctos decebat, deorum nugis & portentis, ſed ſumpta ex diuinis literis materia, & argumentis inde tractandis, alius pro Homeri poëmate veteres Hebræorum res Heroïco carmine cecinit, & eodem uerſuum genere Pſalmorũ librum expreſſit, Euripidem æmulatus tragica edidit, Pyndari lyram attigit, & ad Menandri dramatum exemplũ comica tractauit: alius ſacra Euangelia & Epiſtolas Pauli, dialogis Platonis ſtylũ referentibus expoſuit: alius iambicis, alius aliis metrorũ & poëmatũ generibus, & uario ſcribendi charactere ſic vſus eſt, ut breui admodum tempore libris omne genus cõſcribendis Encyclopędiam abſoluerent, numero, ſtructura, diſpoſitione, virtute, elocutione, nihil ab eis differentes, qui apud Gẽntes in his ſtudiis gloriam olim iam erant adepti. Et niſi uel honorandæ antiquitatis obeſſet pręrogatiua, vel ho-

Apollinares duo, pater & filius. Naziãzen.&c

mines conſuetis oblectarentur & retinerentur, nihilo eis inferiores aut minus celebres futuri, hoc certè ſuperiores, & magis admirãdi, quòd externorum quilibet in vna quapiam re ſtudium omne ut plurimum impendit & detriuit: noſtri verò in omni doctrina cum laude exercitati; ſic ut Græcarũ rerum artiúmque nihil eos lateret, ſtylo prius fœliciter expolito, uſu publico flagitãte, egregiè & externa confutabant, & dogmata Chriſtiana confirmabant, adeò ut fuerint qui libro DE VERITATE inſcripto, etiam abſque ſacrarum literarum teſtimoniis, clarè oſtenderent, & nos de Deo rectè ſapere, & Gentiles deſipere.

Homil. 9. in 2. ad Corinth. Græci enim, ait qui ob eloquentiæ ſuauitatẽ Chryſoſtomi nomen ſortitus eſt, Græci inquam, ac barbari, poëtæ ac philoſophi, & omne hominũ genus, de uita futura, de paradiſi gaudiis, & horribilibus inferorum tribunalibus, ita manifeſta,

feſta, & confeſſa res eſt, nobiſcum conſonant, licet non ſimiliter. Licet non deeſſent, imò numero uincerent, & hodievtinã nulli tales ſint philologi, qui (& hîc vide mentem præpoſteram, uel potius ſatanicam) quando de diis impuris & flagitioſis ſermo foret, negabant eſſe fabulas, & mox credebant: cùm verò de ſupplieiis venturis monerentur, poëtæ ſunt (inquiebant) omnia fabulantur, ut iucundioris vitæ ſtatũ omnino ſubuertant. Verùm hîc de uſu loquimur, non de abuſu. Satis autem conſtat ſanctos patres non in iis tantùm literis diligenter verſatos, ſed alios quoque tum ad eas diſcendas exhortari, tum eos qui iuuentuti eas aſſectanti obſtarent, criminari ſolitos fuiſſe. Quorum vnus annos plus minus triginta, per omnes tam meliores quàm deteriores, vt dici ſolet, diſciplinarum ſemitas progreſſus, de his ætate iamiam deuexa, & multis locis Epi- Homil. 12. ad Epheſ.

ſcopi munere glorioſè functus,ita teſtabatur: Omnes,opinor,qui ſaniore mente, imò qui vel mente præditi ſunt, doctrinam inter præcipua hominum bona ponere,non hanc tantùm noſtram,quæ omnem ſermonis faſtum,nedum ornatum deſpiciens,ſaluti uni inhæret, & rerum tantùm quæ ſub intellectum cadũt pulchritudine capitur, ſed externã quoque, quam Chriſtiani plerique tãquam inſidiatricem, fallacem,quæque à Deo longius abducat,tantùm non cõſpuunt, peruerſa ſanè & periculoſa perſuaſione. Nam vt cœlum,terram,aërem,& quę in his ſunt omnia,nõ ideò auerſamur,quia quidam iis malè acceptis abuſi ſunt,pro Deo, quæ Dei ſunt operá,colentes: ſed quantum vtilitatis habẽt,ex eis ad vſum vitę percipimus,quod noxiũ eſt,fugim⁹: neq; quod ſtulti faciunt, creaturã cõtra creatorem quaſi ad rebellionẽ cõmouemus, ſed potius ex opificio opificem, ex

Nazianzẽ. in funere Baſil. Niceph.li. 10.cap.26.

Rom.1.

rebus conditis conditorē deprehendentes, omnem intellectum Chriſto in captiuitatē redigimus. Et rurſum, vt ignē, 1.Cor.10.
cœlum, ferrum, aliáque per ſeſe nec utilia, nec noxia, ſed prout hominibus iis utentibus uidetur, iudicamus: nam & ex reptilibus pharmaca quædam & theriaca ad hominū ſalutem miſcemus. Sic quoque ex diſciplinis iſtis nihil non ad vitæ uſum & ſalutem fructificat, nam & quod ad veritatem inueſtigandam, ad iudicium acuendum, ad contēplationem exercendam facit, id recipimus, & quod ad Dęmones & profundum perditionis errorem deducit, reiicimus. Et licet horum permulta ad veræ pietatis ſtudium rectam viam rectà non habeant, eo tamen modo & meliora ex deterioribus ſeligentes addiſcimus, & imbecillitatem illorum in fidei noſtræ robur conuertimus. Eum ſiquidē laudarim, licet extra noſtrā caulā is ſit, qui dixit, nequaquam

pudendū aut pœnitendum eſſe,id etiam quod minus bonum eſt cognoſcere, & hinc enim emolumentum iis cōtigerit, qui quæ dicuntur, non malignè, ſed beneuolè excipiunt. Non igitur contemnendæ, ac multò minùs vituperandæ artes ingenuæ, quia ſic perperàm quibuſdam videtur: ſed praui & imperiti qui ſic ſentiunt, cenſendi ſunt, quaſi alios omnes ſibi ſimiles eſſe velint, ut in communi ſui ſimilium, hoc eſt, ignorantium frequentia latere, & inſcitiæ ſuę reprehenſionem fugere ualeant. Hæc vterque Gregorius, Theologus & preſbyter. Cęterùm quid mihi accidit, amice lector, quòd interim dum in nihili verſiculos præfamur, non ſecus ac tenax & durior oris equus inſeſſorem, per poëtices auia nos abripuerit? Diues (vt cernis) ad diſſerendum materia, ſed iam præfationis in tantillum opuſculum prolixitas tandem finienda eſt, ne carmine ſuo,

quod dici ſolet, prolixior ſit titulus. Parumper igitur equum hunc immorigerum, & ore minus ductili, habenis moderabor, & nimis effuſę huc & illuc euagandi licentiæ fręna uelut iniiciam, ne dum poëtica, & quidẽ gentilitia tueor, à melioribus theologicis excidã. In his igitur profanis & alienis hæc ſacra & noſtratia ſeruemus, ut omnia quidem probemus & exploremus, quod malum eſt, reprobemus atq; declinemus: quod bonum eſt, eligamus, faciamus, & retineamus, ut & fella poëtica inter mella caueamus, & mella inter fella colligamus. Nota ſunt illa, vbi mel, ibi fel: vbi tuber, ibi vber. Nec enim propter ſuperſtitionem profanorum fugere debemus, vt quidam beatus pater admonet, ſi quid inde vtile ad intelligendas ſcripturas rapere potuerimus, nec literas nõ diſcere, quia earum repertorem Mercurium ferunt, neque pacem, iuſtitiam, virtutém-

1. Theſ. 5. Pſal. 33. Eſa. 7.

Auguſt. de doctr. chriſtian. li. 2 cap. 18.

que non proſequi, quia eis templa illi dedicarunt,& quæ corde geſtanda ſunt, in lapidibus adorare maluerũt:imò verò quiſquis bonus verúſque Chriſti fidelis eſt, Domini ſui eſſe intelligat,vbi vbi veritatem inuenerit, quam conferens & agnoſcens ex literis ſacris,falſa & figmẽta repudiet,doleátque homines atque ca-

Rom.1. ueat,qui cùm Deum cognouiſſent, non ut Deum glorificauerũt,&c. Et in ſcholis, illud Ambroſij receptiſſimum eſt, Quicquid verum à quocunque dicitur,

1.Cor.12. à ſancto ſpiritu dicitur,naturæ nimirum

Pſal.4. ſignatum ſuper nos lumen infundente,

Thom.1.2 Quęſt.109 art.1. ad.1. & ad veritatem tum intelligendam,tum etiam loquendam mouente: neque minus illud Auguſtini,

Lib. 83. Quęſt.q.1. lib.1. Sententiarum Diſt.46. Omne verum à veritate verum eſſe: Deum autem eſſe veritatem: Deum ergo autorem habere omne verum.

3. Eſdr.4. Ioan.14. Et quoniam omnium fortiſſima ualidiſſimáque veritas eſt,eſt autem Chriſtus veritas, quod ſecũdo loco

propoſuimus, id ſemper meminerimus, vt omnem in autoribus externis, quę aduerſus ueram Dei & Chriſti eius cognitionem inſurgit, arcem deturbemus, munitionem deſtruamus, conſilium confringamus, ſublimitatem & ſuperbiam deprimamus, cōtumaciam vlciſcamur, omnem denique inobedientiam in Dei atque Domini obſequium captiuemus, & ad obediendum cogamus. Poſtremò, quod & antè monuimus, ut iuxta Fabij dictum, has diſciplinas non obſtare per eas tranſeuntibus, ſed circa eas hærentibus, ſit Baſilio ſuus Gregorius, qui ęquo diutius rhetoricantem à docentis cathedra deturbet, & à diſſerendi profeſſione ſeductum, manu uelut iniecta ad Chriſti academiã perducat. Sic enim referunt inſignę par illud amicorum, ambos nobiles, ambos Athenis eruditos, ambos collegas, ambos auditorio egreſſos, & ad rhetoricen profitendam roga-

2.Cor.10.

Li.1.ca.13.

Ruffin. li. 11.cap.9. Crinit.lib. 8.cap.1.

tos,cùm hoc opus ille magnificè imple-ret,hic magnificentiùs contemneret, Naziãzeni de ſodalis ſui animo & amicitia præſumentis,monitu(quid enim tam amicorum, quàm admonere mutuum?) communi ſe conſilio & aſſenſu, in ſolitudinis tanquam portum recepiſſe: vbi ſolertia ſingulari, & indefeſſo ſtudio per annos tredecim, altioribus diſciplinis,& diuinis myſteriis incubuerũt.Submotis enim omnibus Gentilium libris, ſolis eos ibi ſacræ ſcripturæ voluminibus operam dediſſe, ſic diuinæ veritatis arcana gregi dominico vberius & cumulatius Epiſcopos poſteà patefacturos. Hos canones(ut ſemel finiam) qui inter humanitatis ſtudia, tum diſcenda, tum docenda,ſeruãt,innoxiè & impunè omnia tum legunt, tum audiunt, & multa laude digni ſunt: Qui autẽ ſcopulos his oppoſitos,remis(quod aiunt) & velis nõ vitant, præterquàm quòd pulcherrimas

merces,quas tot peruigiliis, & noctiſurgiis, tot támque moleſtis pituitis emptu riunt, nunquam ſaluas in portum inuehent,næ non indigni contrà ſunt, quos non Plato aliquis caput vnguento delibutos,lanáq; coronatos, Vtopia ſua eiiciat, ſed nomothetes alius Platone ſeuerior,luto,fimóque, in quo,iuxta prophe ticum dictum,ut iumenta,inſordeſcunt atque computreſcunt, aſperſos atque perfuſos, è ludis primùm literariis exigat, & quōuis aliò amandet, ſacros licet & admirabiles,& iucundos, quíque externa ſcientia & ſapientia & omnia imitari ac exprimere, & in omnes ſeſe formas uertere ualeant. Habes, mi lector, animi & cōſilij hac in re mei rationem, cuius ne ſenem quidē adhuc pœnitet; gratulabor etiānum mihi, ſi tibi, quam artem cunque profitearis, idem perſuaſero.Nihil enim obeſſe video,quin poëticis (quod ait ille) uoluptatibus aures

Lib. 3. de Repub.

Iocl.1.

Quintilianus.

nobis à theologica, ſicut aliis à forenſi aſperitate reſpirent: ac, ſicut aiebat Ennius, nunquam ſe niſi podagrum poëtari, ita nos niſi cùm uel ruſticamur, inter equitandum, uel domi uerſamur, inter obambulandum, carmen nunquam factitemus. Nobis eiuſdẽ Neoptolemũ probãtibus, ut philoſophari, ita poëtari paucis, nam omninò, haud placet: eius ergo conſilio ex utraque deguſtamus, non in alterutram ingurgitamur. Porrò compulſus ſum ob quædam, quæ fortè non ab omnibus alioqui intelligerẽtur, meus alicubi ſcholiaſtes eſſe, ídque hortantibus & conſulentibus Theologis aliquot piis atque doctis, & amicis mihi chariſſimis, qui iidem horum uerſiculorum & ſcholiorum uiſitatores eſſe non recuſarunt. Et Platonis enim legẽ ualde probo, qua cauetur, ut, cùm non omne poëtarum genus quæ bona ſunt, quę nõ, ſatis norit, poëta nemo, bona licet, iuſta,

Gell. lib. 5. cap. 15. 16.

Lib. 7. de Legib.

& honeſta quæ finxerit, uel priuatim oſtendat, nedum in uſum publicum edat, priuſquam periti uiderint & probauerint. Quam legem auorum noſtrorum memoria nō immeritò deſiderabat Venetorum ille lōgè doctiſſimus Hermolaus, quaſi ſic futurum eſſet, ut nec tam multi ſcriberent, nec tam pauci ſeriò diſcerent. Sed de hoc fortaſſe adhuc aliàs. Opto interim te, candide lector, ſemper bene valere, & mei apud Dominū meminiſſe. Lutetiæ ex ædibus Rhemæis, menſe Decembri. Anno 1563.

Lib. 12. epiſtolarū Politiani.

CLAVDII ESPENCÆI,

THEOLOGI PARISIENSIS,

Sacrarum Heroïdum Liber.

TABITHA PETRO.

Act.9. *QVA, niſi donaſſes, fuerat caritura, ſalutem*
Dorcas Apoſtolico dat rediuiua viro.
Vt dedit ad ſuperos à manibus vſque profundis
Inſolitum Chriſtus me reuocare gradum,
Gratulor eſt cuius mihi reddita munere vita,
Quòd magis atque magis mira miniſter agis.
Sunt tibi cum Domini communia multa ſobrino,
Vóſque pari colitis, diligitíſque iugo.
Contigit vt celſo demiſſus ab æthere Chriſtus
Pacifero Solymam, regna paterna, pede,
Matth.10. *Credentum toto ſelegit ab ordine, recti*
Marc.3. Luc.6. *Conſcia, biſſenos fidáque corda viros.*
Hos inter, quod erat vobis ſublime daturus,
Non vno meritum prætulit indicio.
Marc.5. *Eruit inuito, vobis præſentibus, Orco,*
Luc.8. *Spem generis, patri cùm foret vna, ſui.*

Participes in monte ſui vos eſſe decoris, Matt.17.
Ex alio accitis teſtibus orbe, dedit. Marc.9.
Quum medium ſummi circunſedere prophetæ, Luc.9.
Et natum agnouit vox manifeſta patris. 2.Petr.1.
Cui typicum veſtro celebratum eſt paſcha paratu, Luc.22.
Non ita pòſt, verum paſcha futurus erat. 1.Cor.5.
Teſtis vterque Deum patrémque precantis Ieſu, Matt.26.
Quum faceret diræ proxima verba cruci. Marc.14.
Præſulis ô nullas comes induxiſſet in ædes, Ioan.18.
Serò nec inciperes aulicus eſſe ſenex.
Cognitus ignoto dum gratificatur amico,
Scis fuerit magni quàm tibi cauſa mali.
Qui volet eſſe pius, de talibus exeat aulis,
Cuncta vbi cùm liceant, non licet eſſe pium.
Curritis ad Domini dum lætus vterque ſepulchrum, Ioan.20.
Virgo viro leuior, liberiórque fuit.
Prima ſeges Chriſto vobis orantibus orta, Act.2.
Et recipit veſtro claudus ab ore pedes. 3.
Hoc quoque gens tecum iuncto Samaritica donum 8.
Accipit impoſita ſpirituale manu. 9.
Clinicus ante meos cui te ſanatio manes
Dante fuit, Lyddæ fit medicina ſuæ.
Sed prius vnde tibi tantam ſub pectore bilem, 5.
Vt caderent letho fœmina vírque pari?
An tibi vaginâ quem condere iuſſerat enſem, Ioan.18.
Stringere tum iuſsit téque tuóſque Deus? Ambroſ. can. Non
Scilicet arma decent imbellem talia clerum, pila.ca.Cõ
Arma ſibi lacrymas qui ſcit & eſſe preces. uenior.23. q.8.

Sed magis hæc cupidæ vindex ſententia mentis;
Quæque malum falſi crimen haberet, erat.
Act. 13. *Sic Elymas oculis Paulo dum iudice captus,*
Prætentat manibus, quo duce tutus eat,
Qua periere mago longa ſua lumina nocte,
Lucis iter Paphius nox aliena fuit.
Addita ſic paucis, dum plectitur vnus & alter,
Pœna, ſalus multis, & metus eſſe ſolet.
Act. 10. *Ductorem Italicæ fueram lætata cohortis*
Aduentu Dominum promeruiſſe tuo,
Antè Dei linguis dono illabente locutum,
Quàm maculas ſacro tingeret amne ſuas.
Act. 12. *Grata ſed ingratæ de te ſpectacula genti*
Non ita pòſt timui rege minante dari.
Quas mihi non lacrymas, tot onuſto colla cathenis,
Téque tot apprenſo, Petre, ſatellitibus?
Quæ mihi te ſaluo non gaudia, fractáque dextra
Quum vidi angelica vincla, fuiſſe putas?
Ergo pericla tibi veris grauiora timebam,
Et gelidum fruſtra pectus amantis erat.
Act. 15. *Proficis in melius, fratréſque reuincis apellas,*
Iudaicis non iam ritibus eſſe locum,
Cúmque fide legem, cum Christo iungere Moſen
Poſſe fide Chriſti corda renata, negas.
At tibi, collegíſque tuis, ſenibúſque coactis,
Quam ſacer in ſancta Spiritus vrbe dedit,
Concilij maneat noſtros ea forma minores,
Et ſit in errores anchora ſacra nouos.

Aurea (ceu fama eſt) ſi Petronilla [a] laborat, Matth. 8.
Vtque ſocrus quondam, filia febre calet, Marc. 1.
Et modò conuiuis ægrota recumbit omiſſis, Luc. 4.
Sana modò eſt verbo ſurgere iuſſa tuo.
Vtilis eſt multis monitor pro tempore morbus,
Nec validis totos expedit eſſe dies.
Cuius at vmbra ſalus, cuius via, vita peremptis, Act. 5.
Eſto domus medicus tandem aliquando tuæ.
Qui procus hanc voluit nolentem, armatus inermem,
Indignus thalamo, dignus erat tumulo,
Cuique maritales Deus in funebre choreas
Carmen, in exequias verteret inducias.
Fœlix quæ Chriſto virgo contenta marito,
Humanum renuit ſollicitata iugum.
Aduerſum ſupereſt Samariten pugna Simonem,
A tanto tibi ſunt quanta timenda mago!
Si Domino gratus, populóque ſalutifer eſſet,
Non potius ſpectrum, præſtigiæque meræ,
Aera Pegaſeo quo traiicit iſte volatu,
Aequat & auriuagas Icarus alter aues,
Aera traiiceres, ceu te tulit vnda, Deique Matt. 14.
Dextra, tibi cortex quæ fuit, ala foret. Ioan. 21.
Trita gerens clauſo vates pulmenta prophetæ, Dan. 14.
Crine ſecat ventos pendulus aerios.
AEthiopem ſacro cùm proluit imbre Philippus, Act. 8.
Mox per inane pedem (vexerat vnde) tulit.
Terrarum tot iter puncto dum conficit horæ,
Non volat angelica raptus vterque manu?

Crede mihi,bone vir, miſer hic tolletur in altum
Egeſipp.li. 3.cap.2. *Schœnobates,lapſu quò grauiore ruat.*
Solus habere potes, partiri non potes vrbem:
Ni caueas, ſedem figet in vrbe ſuam.
2.Pet.2. *Conficiet fictis humana negotia verbis,*
Quæ ſpecioſa quidem, ſed mera verba dabit.
Sacra profanabit, multóque licebitur auro,
Quæq́ue palàm magno vendere poßit, emet.
Si qua tamen vel non vendet, vel inempta relinquet,
Act. 8. *Vendibilem pauco qui putat ære Deum.*
Iugurtha apud Salu. *Vrbem neſcio quis venalem emptore reperto*
Liu. li. 64. *Dixit, at hoc fuerit præſule, quale forum?*
Flor.lib.4. cap.2. *Ceſſerit hæc Petro niſi lis, & palma Simoni,*
Roma Simone mago tota lupanar erit.
Act. 3. *Téque quibus iactas argento auróque carêre,* [b]
Curia maiores non habitura deos.
Huic ne cede plano, iuret licet, illacrymétue,
Vímque dolo, vel qua nititur arte, paret.
Sap.7. *Nequitiam vincet Sapientia, dæmona Chriſtus:*
1.Ioan.4. *Plus qui in te, quàm qui regnat in hoſte, valet.*
Túque, tuúſque magis, quiſquis ſucceſſor & hæres,
Chriſtigenæ princeps, vrbis, & orbis erit.
Luc.22. *Confirmate vagos fidei per deuia fratres,*
Nec pereat Chriſto veſtra rogante fides.
Matth.16. *Neu claues iactate datas, ſed claudite verbo,*
Et verbo ſuperas excutitote feras,
Pandite, ſi culpæ quem pœnitet antè profeſſæ:
Claudite, nullæ ſui ſi metanœa premit.

Quos

Quos tibi poſteritas tanto æquiparabit honore,
Sint utinam meritis, & pietate pares.
Vrbis ad exemplum reliquus ſe conferet orbis,
Quis ſibi, quod dicat Roma licere, neget?
Quæ fuerat ſummi fortiſsimus imperij lar, Herodia. li 2.
Firmus in hac Christi pontificatus erit. Auguſtin. epiſt.45.
Atque aliorum, ipſos intra, ſua culpa reſidit. Plin.lib.4. epiſt.ad ſẽpron.
Si procerum eſt, latè uita uagatur, iners.
Sic erit in ſacro primatu, ut corpore, morbus
Qui caput inuadit, ſonticus eſſe ſolet.
Quam folijs pallere uides marcentibus arbor, Chryſoſt. Matth.21.
Radicis uitium deterioris habet.
Sic erit à Petri, uel mors, uel uita, cathedra,
Hinc bona Chriſticolas, uel mala cuncta manent.
Magni adeò refert, quæ iura datura ſit orbi,
Antè tuo diſcat ritè magiſterio.
Té ne igitur furtim deſerta euadere Roma?
Et tibi commiſſum deſeruiſſe gregem?
Sic etenim de te Cephæia garrit Ioppe, [c]
Non alius toto tam uetus orbe locus.
Prima peregrinos ſtatio exceptura fideles,
Bis prius, heu! latia diripienda manu.
Sed ſit Ioppitis de te, quàm uana poetis
Fingitur Andromedæ fabula priſca ſuæ.
Sint licet huius adhuc hìc ſaxa ſimillima uinclis,
Oſſáque ſquammigeræ prodigioſa feræ. Matt.13.
Hîc nihilo mites magis es ſenſurus Hebræos, Marc.8.
Vſqueadeò in patria nemo propheta ſua. Luc.Ioa.4.

D

Act.12. *Occidit hîc non ille vnus feruens Iacobus*
Zebedides, quo ſub tempore vinctus eras.
Sed qui collegis aliò quocunque profectis,
A Chriſti Solymas tempore pauit oues,
Ioſep.Ant. li.20.ca.16 Euſeb.li.2. ca.23. Niceph.li. 2.cap.38. *Nil caput intonſum, iuſti cognomen, ἄοινον,*
Nec prece calloſo profuit eſſe genu,
Præcipitem è ſacra fullonia quominus arce,
Saxa prius paſſum, pertica conficeret.
Act.1. *Nec magis euaſit Iudæ ſuffectus auaro,*
A Macedûm in patriam gente reuerſus humum.
Act.25. *Quin decies, appellato niſi Cæſare, Paulus*
Mortibus hîc variis conficiendus erat.
Quem ſua non dubito Romæ narrare pericla,
Et tibi forſan ait, Nos grauiora manent.
Chriſtiadum, vt paucis dicam, noménque genúſque
Si Latio inuiſum eſt, hîc capitale magis.
Hîc lapides, hîc zelus iners incendia iactat,
Hîc iaculum, quicquid repperit, ira facit.
Vſque adeó ne mori miſerum eſt? ſpirare beatum?
Eſt niſi fortè mori, non ſine laude mori.
Hinc puto amicorum lacrymis ceſsiſſe coactum,
Non timida vitæ conſuluiſſe fuga.
Matt.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.18. *Nec mihi ſit dubium quàm ſis mutatus ab illo,*
Mutus ad ancillæ qui fuit alloquium,
Terruit ancilla, quem ſeruulus, vnus & alter
Vilior, & gallus: cætera, Petre, capis.
Act.2. *Aſt vbi promiſſò te ſpiritus attigit igni,*
Cur alius Romæ ſis modò, quàm Solymæ?

Eſt vbi tam plagas Petrus aſpernatus heriles, Act.4.5.
Seruiles veritus quàm fuit antè minas.
Cuius erit tot martyribus vox dogma futuris.
Non tam hominum quàm ſunt iuſſa ſequẽda Dei.
Hoc erat, alme pater, prognoſticon, affore Chriſtus Ioan.21.
Quod tibi morte redux non moriturus ait, Rom.6.
Tu ſenio fractus, quorſum caro nolet, agêris,
Vincla manus cingent non placitura tuas,
Méque iterum in charo Romæ manet altera ſeruo, Egeſip.li.3 ca.2.
In Solyma ſubiȷ quam ſemel vrbe crucem. Ambroſ. cõt. Auxẽt.
Sic ſeniorem alius te cingat, agátque, ferátque, Gregor. in pſal.101.
Hanc optare crucem ſi licet, opto tibi: Sic optabat papæ Damaſo Hieronymus.
Fœmina ſi per vos licet opportuna loquatur,
Nos tibi conſilium res dare nulla vetat.
Cùm tibi præſertim cordata præiuerit vxor, [d]
Martyrȷ, vtreliquæ, dúxque coméſque viæ.
Quámque prior, longè minus immemor ipſe futurus,
Tu Domini memorem iuſſeris eſſe ſui.
Hæc mihi dictabat timidæ præſaga mali mens,
Siqua modò eſt homini res mala dante Deo.
Si quæras vbi ſit, quid agátque Tabitha viciſſim,
Cum vernis viduo ſola relicta foco:
Pergit in hac anima, quæ gratia cœpit IESV,
Et miror per eum me ſupereſſe mihi.
Sic tua non nobis operum doctrina piorum
Excidit, vt memorem te reor eſſe mei,
Pauperibus, pro more, manus operantur, & inſtant,
Poſt ego quos miſeror, funus vt ante meum.

Qui iubet, eiuſdem ſum munere, mater egenis,
Qui circum, uiduæ ſtant mea tecta greges.
Sic peragenda ſuper uitæ eſt quantilla mihi pars,
Intentam inueniat talibus illa dies.
Quid prodeſt homini perituris parcere gazis?
Manſuras quid obeſt fundere diuitias?
Pars mea ſunt lacrymæ, ſunt nocte diéque querelæ,
Hæc utinam ſordes abluat ỽnda meas.
Cyr. Ioã. 13 ex Clemét.
Quali profluuio ỽultum tibi creber aduſtum
Rumor ait, Chriſti tam memor eſſe ſoles.
His facies rugis tecum mihi triſtis aretur,
Lætitiæ multum talis amaror habet.
O reuocatrices lucis contingere dextras,
O tua ſi ſupplex ora uidere queam!
Si celebres iſtic Petri Paulíque triumphos,
Maius amicorum quo pare nemo ỽidet,
Act. 9.
Si quàm Dama ᶜ mihi cognominis, acer ocellis,
Aut etiam obtutu nobiliore foret.
Glorioſi principes terræ, vt in vita ſeſe dilexerũt, ſic morte nõ ſunt ſeparati, eadẽ die paſsi, Prid. Cal. Iul. nõ eodem fortè anno. Ambroſ. ſerm. 66. 68. Ab dias. Arator act. 28
Sed quî non faceret germanos exitus idem,
Vna fides fratres quos facit, unus amor?
Queis eadem tota Chriſti præconia ỽita,
Non eodem Chriſtum funere concelebrent?
Aut mors diuideret (mors ſi modò, non mage uita eſt)
Vna quibus tanto tempore pugna fuit?
Sed quoniam Petrus currendo, ſedendo Tabitha,
Ad finem properat feſſus uterque ſuum,
Tam non uiſe diu, nec fortè uidende, petique
Nec Iudæa tibi, nec mihi Roma poteſt,

Rurſus vt occidero, quoniam moritura reuixi,
Hellas habet qualem ſcilicet Hippolytum,
Morte bis abſumptæ ſi fortè ſuperſtes Ioppen
Veneris, hoc cineres indice noſce meos.
Nata ſemel, bis uiua, bis & defuncta, creatos
Poſt homines rara cuncta creantis ope,
Dum gemit abſentem Dorcas paupercula Petrum,
Plena fide, placido capta ſopore iacet.

DRVSIANA IOANNI. II.

SCRIBIT Ioanni Chriſti Soteris amico,
Quæ ſupereſt funus poſt Druſiana ſuum.
Hoc toties Petri comitem te (credo) manebat,
Quod prior huic Dorcas, dein tibi uiua forem. Act. 9.
Sed ſi parua licet magnis componere, & vrbis,
Aut patriæ à fato ducere fata meo,
Paſtor ut Ioniis dum tu ſecedis ab oris,
Et modò te Latium, te modò Pathmos habet,
(Pathmos in Aegæo quantum breuis inſula Ponto,
Exilio tantum nobilitata tuo) Apoc. 1.
Me ſuperas non uiſuram mors abſtulit auras,
Hic niſi te reducem mox daret eſſe Deus,
Sic aliò te neſcio quò quocunque profecto,
Hac quam ſeuiſti languet in vrbe fides,

Et peritura breui eſt, quaſi non conſeueris vllam,
Huc niſi te reducem det celerare Deus.
Scis Epheſum ſophiæ veteris vetus eſſe Lycêum.
Conuenit haud iſtis cum pietate ſophis.
Nec magis inſanis cum relligione poetis
Conuenit, & Chriſti nomen inane putant.
Irrident noſtri myſteria dogmatis, vnum
Tres tibi perſonas eſſe tuiſque Deum.
At liquet his trinum qui rident numen, & vnum,
Quot lapides, quot habent ligna, tot eſſe Deos,
Tótque Deûm ſtultis quondam ex mortalibus autor
Irrident hominem turba profana Deum.
Nouimus ex cunis, & quorum numina buſtis,
Sunt vbi nata, quibus ſunt inhumata locis.
Matre quibus nulla patrio de vertice Pallas,
Et patrio Liber naſcitur ex femore.
Patre quibus nullo Iunonia naſcitur Hebe,
Naſceris & nullo patre, Gradiue pater.
Tres ſine matre patres fudiſſe ferunt Oriona,
Matre Ioui Muſas non niſi mente ſatas.
Matre Ixionidas ſuppoſta nube biformes,
Semiuiróſque feros, ſemiferóſque viros.
Pluráque, quæ leuis eſt conuincere falſa negoti,
Ficta tamen faciunt, accipiúntque fidem.
Ergo cerebrigenas, Iunonigenáſque, bimatres,
Nubigenas, genitos bis, mera monſtra colunt.
Quin & Ariſtoniden [a] *malè credula turba Platonẽ*
Virgine progenitum matre fuiſſe ferunt,

Et natum eſſe negant ſummo ſine matre, parenti,
Eſſe negant natum virgine matre Deum.
Semper in ore meis ſunt ciuibus, ab Ioue ſigna
Lapſa, Iouis ſemper magna Diana [b] *ſonat.* Act.19.
Quale (Deus) monſtrum! tumidis diſtenta mamillis
Scilicet hæc homines, brutáque mater alit.
Vni argentifici, quem depulit aduena Paulus,
Succeſsiſſe Deûm tot pudet aurifices.
Qui damni multum eſſe rati, dum pauca lucrantur,
Et quibus ex quauis re bene quæſtus olet,
Cedere ſigna dolent veterum precioſa deorum,
Et ſibi, non diuæ vota perire ſuæ.
Scis, huius choreæ quo te excepere tumultu,
Timotheo [c] *cladem quámque dedêre tuo,*
Quum lapidum oppreſſus populari grandine paſtor,
Quas dederas, noſtræ reddidit vrbis oues.
Ni properes, ſanctis æquè de moribus actum eſt,
Iam redeunt magicæ, quæ periere, notæ.
Hîc ſunt pacificis clamoſa theatra cathedris,
Peltatæ viduis pluris Amazonides.
Vos licet & viduas tam commendetis egentês,
Lex & in armatas tam ſit aperta Dei.
Penſa, colúſque viri, telas & ſtamina tractent, Strab.li.14 de Epheſiis, Nemo noſtrũ frugi eſto, alioqui cũ aliis eiicia tur.
Quando iuuant noſtras maſcula tela manus.
Hîc (breuiter) iuxta dictum vetus, eſt homo frugi
Nemo, niſi duro proximus exilio.
Sed quid ego hæc? cur idolis, & anilibus aures
Fabellis onero, ter venerande, tuas?

Talibus oppono tua dictáque factáque nugis,
Quo melior toto non docet orbe ſophus.
Siue bonos ſpectent mores, caro virgine plus eſt
Pura, nec angelica mens tibi pura minus

Ioan.2. vbi Bed. Albi. Lyr. è nuptiis à Domino euocatum ferunt.

Dia maritalem ſic uis compeſcuit æſtum,
Virgo uenis, virgo tempus ad omne manes.
Hinc tibi verbiparæ cuſtodia credita matris,
Mater erat caſta caſta tuenda manu.
Impletiſque uices, tu pignoris, illa parentis,

Ioan.19.

Vnigenæ fratres quis ſecus eſſe putet?

Ioã.20. s'c Augu. tractatu vlti. in Ioan.

Virgineiſque Petrum comitem præuerteris alis,
Et diuina uenis ad monumenta prior.
Tu thalami quæ non erit vllius indiga, uitæ,
Ille typus uitæ coniugialis erat.

Ioã.13.18. 19.21.

Plus alium quàm te nullum dilexit Ieſus,
Plus Domini Petro non fuit alter amans.

Hierony. li,1. in Iouinia. huius amoris præcipui cauſam pꝑpetuã putat virginitatem.

Cauſa, Dei præter nutum, diſcriminis huius
Cui liqueat, vates is mihi magnus erit.
Obuia virginibus factúque facillima cuncta,
Seu fuit illæſo flamma gerenda ſinu,
Non minus illæſo feruens ingreſſus Oliuum,
Quàm veneris uacuo corpore, liber abis.

Tertul. de præſcript. Auguſtin. Soliloquiorũ cap. 22

Siue fuit liquidi fraus inſidiata ueneni,
Fonte uelut liquido pocula læta bibis.
Vtraque virgineis feritas innoxia membris,
Dira lues aliis utraque, uita tibi.
Lætus, & in triſti paſſus nil triſte lauacro,
Securus uitæ ſed magis, atque necis,

Mox veteres athleta deos ingentibus auſis
Ad luctam inuitos unctus & arma uocas.
Pauperiem obiectant, miſeri mage paupere quouis,
Nequities quibus eſt grandis habere nihil.
Pauperiem nos non animo toleramus iniquo,
Theſaurus quibus eſt grandis auere nihil.
Qui lapides, qui ligna putum conuertis in aurum,
Non aliter picta quàm per inane cruce:
Materiam fractas formámque reſumere gemmas
Qui pictæ haud aliter quàm crucis arte iubes.
Rem tibi perfacilem credo ditarier, eſſent
Diuitiæ, dici quod ſolet eſſe bonum.
Mundus opes homini totus, cœlúmque fideli eſt, Auguſt.epiſt.54. Fidelis hominis tot mũdus diuitiarũ eſt, infidelis autẽ, nec obolus.
Cuncta tenet, Chriſtum quiſquis amore tenet.
Hinc iuuenes, quos pauperibus feciſſe benignè
Cœperat incœpta pœnituiſſe via,
Quæ dederant, verſis in gemmea pondera virgis,
Conceſſu poterant ferre recepta tuo:
Vt ſibi conſulerent, facerent quocunque modo rem,
Hac modò contentos parte, manere nihil.
Non bene muneribus capitur diuina coactis
Gratia, vult noſter libera corda Deus. 2.Cor.9.
In ſpeciem gemmis redeuntibus ergo priorem,
Pœnitet hos cœptæ pœnituiſſe viæ.
Nudum inopémque inopes nudíque ſequuntur Ieſum,
Nec, bene iam gazas diſtribuiſſe, dolent.
Diíque, Deûmque quater miſeri, mihi dicite, myſtæ,
Veſtrates quid agunt tale, docéntque ſophi?

Verior hæc ſophia eſt vani quàm dogma Cratonis,
Fertur & Ogygius quod docuiſſe Crates.
Fregit hic Eoos nullo meliore Pyropos,
In rapidas cenſum merſerat alter aquas.
Auræ mancipium popularis vterque, videri
Dum fatuis mauult, quàm bonus eſſe, fuit.
Nam quid egenorum nullo ſua perdere lucro,
Quale ſophus damnum fecit vterque, iuuat?
Det miſero, qui vult ſibi perdita profore, fratri,
Frater eget, noſtro non eget ære Deus.
Plus operum nihilo numen cœleſte bonorum
(Quàm tamen horũ homini eſt vtilis vſus!) eget.
Hinc iuuenis, quem blanda boni indulgentia patris
Fecerat in mores degenerare malos,
Cùm fugeret (quod agit mala mens) armatus inermẽ,
Diſpoſitóque ſenex aſſequereris equo,
Tot ſcelerum conſors, tot dextra latrociniorum
Conſcia, tunc gladiis penè cruenta ſuis,
Oſcula te figente, tuis admota labellis,
Ignoſcentis erat teſſera certa Dei.
Nec mora, mutatus multò fit ouicula fletu,
Pòſt etiam paſtor, qui lupus antè fuit.
Hæc diuinus amor miracula, ſpéſque fidéſque
Efficiunt, ſcriptis tam celebrata tuis.
Surgere ſe lapſi norunt hoc munere fratres,
Collocat in priſco quos metanœa gradu.
Hæc fuerint luci reſponſa rebellibus, & quis
Non tam mirifico crederet artifici?

De hoc
oſt Laert.
b.6. Hie-
ɔ. ad Pau
nũ, Pam-
achium,
uciniũ,
lianum,
: lib.2. in
ouinianũ

ſal.15.

hryſoſt.
piſt.5.
uſeb. li.3.
ap.23.
Nicep. li.2
.42. hũc
x latro-
ũ princi-
e Smyr-
æ Epiſco
um, Poly
arpũ qui-
am vocãt
cal. Feb.

Quo magis, aut vegeto Chriſti myſteria ſenſu,
Aut alius viuo lumine, nemo videt.
Sit, cui te aſsimilant ſacris è quattuor vnum
Hiſtoricis, aquila plus licet altiuolans.
Nemo magis, quæ ſubter humum, quæ ſydera ſupra,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæque futura, capit.
Nam quot in anguſta vidiſti ænigmata Pathmo, Apocalyp quot verba, tot ſacramenta.
Non ſoluenda prius, quàm peragenda puto.
Verbáque ſunt totidem mihi ſacramenta, profanis
Clauſula ſcripturæ non adeunda nouæ.
Nimirum hos tonitrus, hæc te ſecreta docebat Vnde & filiꝰ tonitru dicitur. Marc. 3.
In Domini accliuem myſtica cœna ſinu,
Qui potiore ſui dulcedine præditum amoris,
Participem arcani plus dedit eſſe ſui.
Quid mihi (forſan ais) notum me, nata, laboras
Reddere, plúſque mihi, quàm tibi, nota refers?
Ciuibus ad vomitum, quæ tu mihi, dicto reuerſis,
Et dictata iuuat reddere diſcipulam.
Nota priora quidem mihi ſunt, quæ deinde ſequuntur
Ne non ſint, vereor, nota perinde mihi,
Nam qua viuus humum moriturus luce ſubiſti [d],
Abſtulit à noſtris te noua lux oculis,
Protinus exuuias à toto corpore nullas,
Aerium præter manna, videre fuit.
Inde, tuis de te qui fratribus inſuit error,
Radices (error ſi tamen) altus agit.
Sunt qui te fortunatis Orientis in hortis
Eſſe volunt, aliis plus placet Elyſium.

Iam te alius totum ſublimibus intulit aſtris,
Parte quibus credo te potiore frui.
Lætus, & æternum(quæ ſunt tua dogmata)numen,
1.Ioan.5. *Qui Pater eſt, & cum Pneumate Sermo Deus,*
Lætior hoc carnis ſpolio viſure reſumpto
Ioan.17. *(Quæ ſunt vota hominum maxima)mente vides.*
Credo equidem,nec vana fides, ſi te bene noui,
Semper vt hîc poßis,non tamen eſſe velis.
An tibi, collegis cœlo potientibus, vni
Vita diu ſupereſt, vt moriare diu?
Cur tali tantóque neget ſobrinus alumno,
Támque, diu ſociis iam data, promoueat?
Ducere té ne moras longæuo in corpore tantas,
Rumpere quas alij muneris inſtar habent?
Sed lateant Chriſti de te prognoſtica mundum,
Non tamen euentu ſunt caritura ſuo.
Hinc moriturus, adhuc ſi viuis in orbe, parœcos
At tu viſe, prius quàm moriare, tuos.
O ego geſtantem ſacrorum inſigne viderem,
Et capitis petalon [e] *pontificale tui!*
Si quæras vbi ſit, quid agat Druſiana viciſsim,
Quid melius multis plena diebus agat?
1.Tim.5. *Sanctorum pedibus patrio pro more lauandis,*
Nunc quoque ſanctorum eſt hoſpes, vt antè fuit.
Gen.18.19 Hebr.13. *Et mihi forſan erit qui patribus angelus hoſpes*
Contigit, hoſpes erit forſan & ipſe Deus.
Caſta domum ſeruat pietas, quod viua negaui,
Mortua Callimacho, [f] *vel rediuiua darem?*

Monſtrum hominis! gelido non te pudet indere furno?
Cætera ſunt lingua digna pudente minus.
Erret inops Hebion, mendicet & erro Cerinthus, 2. Ioan.
Vt dicam, monſtris talibus, abſit, Aue. Ex Hierony. Catal.
Quos neque communi dignatus es aduena tecto, Euſeb. li. 3.
Eſſe ratus ſordes, illa lauacra meras. cap. 27. 28
Nil hominem ſupra quibus eſt, nec ſemen Ieſus li. 4. ca. 14. li. 5. cap. 8.
Virginis, at fabro progenitore ſatus. li. 6. ca. 17.
Nec mirum, vt quorum eſt (miſeris ea ſomnia verpis) li. 7. ca. 25. Irenæo li.
Venter, &, eſt quæ ſub ventre libido, Deus. 3. cap. 3.
Hoſpita ſeruorum Domini, ne colligat hoſtes Tripart. li. 1. cap. 14.
Chriſte tuos, patrem promeritura Deum. Nicep. li. 3
Eſto piis falſa cum relligione ſimultas ca. 13. li. 4. ca. 14. li. 6.
Perpes, Ioannem ſic imitata meum. ca 22.
Iámque vale, mihi dulce caput, populíque Deíque Epipha. cõtra hęreſim 28.
Delicium, quod vult orbis vterque ſuum. & 30.
Et longum fortaſſe vale, fortaſſe (futuris
Quis ſcit enim rebus tempora certa?) breue.
Sed ſeu temporius, ſeu ſerius, æthere quæ nunc
Corpora caſſa iacent, ſint reditura, vale.
Intereà Tempe (quæ ſint tua cunque) relictis,
Si certum eſt Epheſum viſere fortè tuam,
Et tibi præmoriar (niſi iam mihi morte præiſti)
Condita quo fuerim marmore, carmen erit,
Hoſpes Ioannem dum plus Druſiana moratur
Quàm cuperet, ſenio non obiit, ſed abiit.
Quémque redemptorem diſcebat ab hoſpite Chriſtum
(Eueniat, lector, quod tibi) læta videt.

THECLA PAVLO.

III.

A Sene quam Paulo didicit ſua Thecla ſalutem,
Et meliora cupit mittere, ſiqua poteſt.
Gratulor in toto quòd non latet angulus orbe,
Immemor eſt Pauli lingua nec ulla mei,
Vt dubitem (Chriſti ſunt talia tantáque dono)
Plena ſtuporis, agas an patiare magis.
Iuuerit annales pugnarum audire tuarum,
Tu tibi ſi vates hiſtoricúſque fores.
Nanque tibi meritíſque tuis ſatis eſſe canendis,
Vena niſi impleret quem tua, nemo queat.
Audito interea, non vltima forte tuarum,
Exemplo quid agat virgo, ferátque tuo.
Quámque nihil refert ſit mas, an fœmina, Chriſti
Miles, & eſt ætas qualibet apta Deo.
Themiſto cles. *Corda Neoclides ad res animoſa gerendas,*
Ex geſtis didicit ſumere Miltiadis.
Act.7. *Inſomnem Stephani me fecit palma: mei ſim*
O vtinam ſexus, qui decor ille ſui,
Protomartyr. *Et mihi virgineum qui protegit vſque decorem,*
Lilia purpureis miſceat alba roſis.
Sed vereor, ne tot defunctam Dia periclis
Gratia me ſicca malit abire via.

Qui me cunque tamen maneat candórue, rubórue,
Viua, Dei, vitâ functáque, ſemper ero.
Quos igitur, poſtquam te ſum perſuaſa magiſtro,
Accipe, ſucceſſus res habuere meæ.
Iconium Antiochi dum te Iudæus ab vrbe Act.13.14.
Excuſſo pedibus puluere turbo fugat, 16.
Scis benè quot lapides, quot te repulere tumultus, 2.Tim.3.
Signa licet verbis numine dante tuis.
Non magis Iconium, dulcis mihi patria, Chriſto,
Méque Deo, quàm te viuere paſſa diu eſt.
Hîc mihi prima fuit, cum chara pugna parente,
Ad Paphias natam ſollicitante faces.
Quæ mihi vitales dum, quas dedit, inuidet auras,
Quando ſcelus Chriſto nubere grande fuit,
Protinus alterius ſponſi damnata furore,
Sto medios inter non abolenda rogos.
Reſtinctos fidei flammis maioribus ignes,
Quam ſubitus pluuia vindicat imber aqua,
Eſſe neget, Solymis quiſquis non credit Ephebis Dan.3.
Aſſyriæ flammas non nocuiſſe pyræ.
Sed furit, & flammis minimè contenta tyrannis
Integrat, eſt qua non pugna cruenta magis.
Obiicit hanc vrſo prædam, tauro, atque leoni,
Nil leo, nil vrſus, nil mihi taurus obeſt.
Non oculo, non virgineos vngue attigit artus
(Et violatur enim lumine virginitas)
Impetus aſſuetum non aſperat, ira citatum
Non rapit, impaſtum non magis eſca mouet.

Cernere erat noſtras animalia lingere plantas,
Et pedibus prædæ baſia ferre ſuæ.
Ingeniíque oblita ſui mirantur, adorant,
Induto (quod homo liquerat) ingenio.
Et vel ad aſpectus non vnquam aſſueta viriles,
Ne pateat bruto nuda puella mari,
Prona iacent, oculíſque ſolo reuerentia fixis,
Sunt tacito inſontem teſtificata ſono,
Inſanúmque monent de relligione theatrum,
Déque ſacra obſcœnos virginitate viros.
O noua res! homines rabie ſæuire ferina,
Et rabida humanas ponere corda feras.
Dan.6.14. *Hæc neget, Hebræo quiſquis Babylone prophetæ*
Bruta negat mœſtis illacrymaſſe genis.
.Cor. 15. *Aut Epheſina tibi lucta commiſſa cruenta*
Sæuitiam neſcit depoſuiſſe ſuam.
Vrgeor in plenam tetris ſerpentibus vndam,
Pœna fuit miſeris hæc quoque mancipiis.
Quæ natat Ionio pinguis murena profundo
(Plus feritatis ibi dixeris, án ne gulæ?)
Tertull. li. *Exunguis, trepidos excornis, edentula ſeruos*
de pallio. *Anguis opimandis eſſe ſolebat heris.*
Cui leo, cui taurus, cui flamma pepercit, & vrſus,
A mutis metuam cur mihi piſciculis?
Sic medios inter mihi ludere contigit angues,
Ludit vti feſto ſponſa venuſta choro.
Ion.2. *Et neget hoc, profugum ceto ſorbente prophetam*
Elapſum medio qui negat eſſe mari.

Vulnere

Vulnere neu ſubito crudum tibi vipera virus Act. 28.
Iniiceret, peſtem continuiſſe ſuam.
Aut etiam innocuos Pſyllis Marſiſque Chelydros,
Queis genitus tacto non riget angue puer,
Iam populi flammas experta furentis, & vndas, Pſal. 65. tranſiuim' per ignem & aquam.
Dauidico grates ore poetis ago.
Quámque Seleucæam multa colo dote beatam,
Sit mihi plus patria poſco ſecunda mea.
Noſtra tenes: cuperem de te reſcire viciſsim
Nuncia, ſed Pauli nuncia picta manu.
Quale tuum toto facit orbe Philemona clarum,
Dignarêre breui me vel epiſtolio.
Hoſpitam Ioannes dominæ dignatur honore; 2. Ioan.
Mî ſatis eſt Pauli filia Thecla legi.
Grecia cum Latio ter fortunata, beati
Diſcipuli chartis térque quatérque tuis.
Me ſciolam, quaſi quæ Grecis, aut ſcribis Hebræis,
Non mihi pro modulo ſint quoque ſcripta meo.
Obtigit hinc votum votis mihi mille petitum,
Te tibi condignus ſcriptor vt eueniat.
Ecquis enim melius quàm tu tibi cognitus? ecquis
Conueniens geſtis te mage præco tuis?
Vnde vel ire iubes? quæ prima vel vltima ponam?
Næ quemuis inopem copia talis agat.
Quas non quotidie Chriſti pro nomine mortes? 1. Cor. 15.
Quàm varios caſus, quótque pericla ſubis?
Flagra, cruces, colaphos, lapides, ergaſtula, fuſtes, 2. Cor. 6. 11
Naufragia, inſidias, vincla, venena, fugas;

Pauperiem, frigúſque, æſtúmque, famémq;, ſitímque,
Vota, preces, lacrymas quis numerare queat?
Act.20. Tota facta die, nec nocte dirempta profunda,
De Chriſti ad populos ſunt tibi verba fide.
Hierony. apologia in Iouini. & in Ioan. Hieroſol. Verbáque quot dico, tot ego quoque fulmina dico,
Verba Periclæa plus violenta tuba.
Quæ magis humanas moueant quàm fulgura mentes,
Igne magis ſtygiis noxia dæmoniis.
Bernard. de verbis Apo. Chry. homil. 32. ad Rom. Hæc inter ſatis eſt homini fluuiúſque Ceréſque,
Corpus & horridulum trita lacerna tegit.
Nec tamen hæc gratis, ſed enim ſociíſque tibíque
Act.20. Artifici manus cuncta parare manu.
1.Cor.4. 2.Co.11.12 1.Theſ.2. 2.cap.3. Qui ieiunus humi cubet, aut abſtemius, aut qui
Strigoſo genium corpore fraudet, erit:
Vix Euangelium qui prædicet, & ſine ſumptu,
Et manibus victum quæritet, vllus erit.
Hoc decus, hunc propriũ tibi, mi præceptor, honorem
Laude volunt omnes tollere, nemo ſequi.
Res adeò grata eſt, aliena viuere quadra:
Res adeò multis eſt odioſa, labor.
Act.17. 1.Cor.15. Tit.1. Munere ſacra tuo fas illuſtrare profanis,
Id tua nec raro littera tentat iter.
Multorum didicit mores Ithacenſis & vrbeis,
Plus hominum terra, Paule, maríque doces.
Rura, caſas, vicos, caſtella, mapalia, pagos,
Oppida, pes vrbes luſtrat vbique tuus.
Non tot Auerna viis quæſita repertáque matri
Diua, quot eſt hominum te ſatagente ſalus.

Non adeò multis Cerealia vector in aruis
Aerius ſparſit ſemina Triptolemus,
Semina quàm mundus fidei cœleſtia ſanctæ
Percipit extentis, te volitante, plagis.
Quid Plato? Trinacriam miſſis inſtruxit Athenis,
Erudiit Samius Itala regna ſenex.
Dum Sophiam toto fugientem quæritat orbe, Hierony. ad Paulin.
Perſidis, & Pharios viſit vterque magos.
Orbis arena tua eſt, & quicquid in orbe, theatrum,
Omnia doctrinæ climata plena tuæ.
Nec maris Alcides tantum aut telluris obiuit,
Tótque laborifera monſtra ſubacta manu,
Regna quot à veteri tua lingua retraxit abuſu,
Monſtrorum domitrix, monſtrigenúmque Deûm:
Queis tamen in domina ſummiſſis faſcibus vrbe
Curuatur, reliquus quod caput orbis habet.
Pro quibus æternum terras, per & omnia numen
Aequora fers, nulla victor vbique mora.
Nil veritus Regúmque minas, & regia contrà Act. 9. 15. 26. vt portet nomen meum coram gentib. & Regibus.
Iuſſa, ſalutiferam præco docere crucem.
Gratia mirifica ſic te virtute beauit,
Tam ſedet in labris vis bene ſuada tuis.
Vis vt cuncta virûm, vis vt tibi cuncta malorum
Spirituum, ruptis ceſſerit obiicibus.
Quicquid habet Boreas verbi vitalis, & Auſter,
Cum ſole occiduo quicquid Eous habet.
Quod Scytha; quod Latiũ, quod Græcia nouit Ieſum,
Sarmata, Barbaries, forſan & Antipodes,

Eſt ſementis, opus, manuum cultura tuarum,
Meſſis, & in ſacra relligione labor.
2. Cor. 11. ſic Hiero. in Iouinia. Ruffin. ad Marcellã. *Pace tua, cùm te fingis non eſſe diſertum,*
Vix habeo, verax ſis licet vſque, fidem.
Nec nimis à vero vel abeſt, vel barbarus errat,
Act. 14. *Mercurium verbi te ratus eſſe ducem.*
Vnde tibi pennas homini hac in carne negatas?
(Hanc modò ne quis humum te peragraſſe putet)
Act. 9. *Quóue vides cœlo monados myſteria trinæ?*
2. Cor. 12. *Quicquid & humano non licet ore loqui?*
Viuus adhuc raperis, ſumptis quaſi Pegaſus alis,
Radere vel liquidum Dædalus auſus iter.
O ſtolidos folium qui credunt eſſe Sibyllæ,
Quicquid habet ficta Græculus hiſtoriæ!
Et tibi magnificis comperta probatáque ſignis
Rom. 15. *(Quæ non te Dominus ſigna loquente dedit?)*
Act. 17. *Eſſe putant rabulà nugas autore profectas,*
Déque peregrinis dogmata dæmoniis.
1. Cor. 15. *O miſeros brutis homines magis, & mage brutos,*
Eſt alio reliquum ſi nihil orbe ſpei!
At meritò Paulum, qui dedocet iſta magiſter,
Organon æterni credimus eſſe patris
Dum reducẽ expectãt, quo ſurgant præduce, Chriſtũ,
Sancta piis pax eſt ſpiritibúſque quies.
1. Cor. 15. *Aethereus donec promiſſo tempore clangor*
1. Theſſ. 4. *Excitet angelica corpora humata tuba.*
Quid qui morte iacent? quid? viuunt? quid niſi viuũt?
Viuit enim, Chriſti nomine quiſquis obit.

Nocte recepturus tranſacta ponere veſtem, Chryſ.homil.5.ad Antioch.
Qui redeat ſolem nullus abire dolet.
Corpore cur doleas redituram excedere mentem?
Cúr uè reſumendæ ponere carnis onus?
Quid niſi lux, vitæ? quid nox, niſi mortis imago?
Et tumuli noſter lectulus inſtar habet.
Mors animam reddit vitæ, corpúſque quieti,
Vt redeunte ſolet nocte peracta dies.
Nos Dominus ſine nocte dies, lux abſque tenebris,
Poſt ingrata manet tempora grata quies.
Hæccine qui loquitur Paulus, delirat? ineptit? Act.26.
Non magis eſt multæ ſobrietatis homo?
Multa quidem dixi, quæ multò plura reliqui,
Qui celebrent, ſi ſors iſta moraris, erunt.
Sed iam, chare pater, trans diſsitus orbe marino,
Et procul, & nimium tu mihi tempus abes.
Tonſa comes ſequerer, ſexum mentita virilem?
Sexus at intonſa debet hic eſſe coma. 1.Cor.11.
An ſophus induerer, Tyriam vel miles abollam?
Sed decet ad teneros nos ſtola longa pedes.
Ne vir fœminea, ne fœmina veſte virili Deut.22.
Vtitor: odit enim crimen vtrunque Deus.
O tua te patria tenuiſſet in Hellade Tarſus, Act.9.11.21.22.Paulus Tarſenſis.
Sicubi pacifico vel magis eſſe licet.
Tam nec in vrbe diu mentiri neſcius eſſes,
Quo te habuit tanto tempore Roma loco?
Scis tibi Sacrificûm quàm principis obſtitit aula, Act.23.
Scilicet aula minus ſæua Neronis erit.

Sed nihil, aut minimum cum talibus eſt tibi fumis,
Ingenium noui ſi bene, Paule, tuum.
Anne palatinos inter fortaſſe gnatones
Addictos aliquot rex ſibi Chriſtus habet?
Nam Senecam, ſi fortè tuas non venit ad aures,
Quæ tamen huc veſtro nomine ſcripta tulit,
Fama refert ſophiæ barba tenus eſſe magiſtrum,
Fingere Fabritios, viuere Fuſidios.
Luxuriem incuſat, ſed ſigmate cœnat eburno,
Quáſque notat, magno fœnore cogit opes.
Non placet aula, pedem ſed non diſcedit ab aula,
Nec fas illa loqui, quæ grauiora puto.
Fallitur ingrato vice ſe fore patris alumno,
Eius ab occiſa diſcere matre poteſt,
Cui ioca ſunt ignes, cui carnificina voluptas,
Summáque confundi viuus & ima cupit.
Errat & hic, animam vel perdere ſi velit omnes,
Hæredém ne poteſt exanimare ſuum?
Ah quoties mōſtri ad nomen vox faucibus hæret,
Currit & algificus noſtra per oſſa tremor.
Nam tibi non flammas, vel quas euaſimus vndas,
Sed gladij diras intonat ille minas.
Viuere multa datur multis tormenta ferendo,
Viueret abſciſſo vertice, nemo fuit.
Quàm vereor multos numeraſti liber amicos,
Tam fortè in picco carcere ſolus agas.
Vtque prior, coram quam dixti Cæſare, cauſa,
Sic cadat hæc nullo tuta patrocinio.

Phil. 4. Salutant vos omnes ſancti, maximè qui de Cęſaris domo ſunt. De Fuſidio fœneratore Horat. Satyra 2. lib. 1. Sermon. Senecā autē ſic notat Dion in Nerone.

2. Tim. 4.

Quàm male de noſtro merita eſt Afrania ſexu,
Fœmina quæ cauſam nulla merente capit.
Nec nimium nobis per te licet eſſe diſertis,
Et minus hunc ſexum res aliena decet.
Vt melius preculis, oculíſque patrociner vdis,
Facundæ per quem non licet eſſe mihi.
Quis mihi vincla mei det præceptoris adorem?
Et prono pedicas oſculer ore tuas?
Quis mihi rurſus erit cernenti talia ſenſus?
Quos ego non gemitus tum, lacrymás ue darem?
Quas nec vt in proprio ſentirem corpore pœnas?
Ecquid enim Pauli non reor eſſe meum?
Seruares ſi non tibi te, at Chriſtóque, tuíſque,
Viue Deo, clero, nobilibus, populo.
Non ita vt inter nos pudeat te viuere, vixti,
Quantum, hominis quæ ſunt, noſcere poßit homo.
Nec tremis (eſt homini quæ terribilißima) mortem,
Quòd Domino fidas emoriture bono.
Non peritura manet te cuius adorea dono
Iudicis in ſummum certa repoſta diem.
Grata quidem poſt tot tibi mißio, Paule, labores,
Non ita corporeæ tædia militiæ.
Sed tibi ſi corpus, quàm cedere neſcius annis
Eſt animus, quia te præmia ſalua manent,
Adueniens quæ non minuet dilata, ſed auget
Augebítque tibi tempus in omne Deus,
Et potes intereà tam fratribus eſſe miniſter
Vtilis, & me vis (Paule) valere, Vale.

D. de poſtulando. Val. Max. lib. 8. cap. 3 Plutar. in Numa. 1. Cor. 14. 1. Tim. 2.

Sic de Ambroſio Paulin⁹, & Poſidoni⁹ in vita Aug. cap. 27. 2. Tim. 4.

Sic Sulpitius de D. Martino.

IPHIGENIA MATTHAEO.

IIII.

REGIA progenies, Aegyppus & Iphianaſſa
Quam genuere, Deo charus vterque parens,
Dat, Matthæe tibi, quantam cupit ipſa ſalutem,
Quámque poteſt gratas Iphigenia[a] *notas.*
Dum ſtabant regno incolumes matérque, patérque,
Et viguit ſanis Regia conſiliis,
Gaudebam titulis, fideíque accedere Chriſti
Aethiopas, calido regna ſub axe, meos.
3.Reg. 10. *Prima quidē Libyco Solymam quæ venit ab auſtro,*
2.par. 9.
Matt.12. *Pacifico princeps à Solomone redux,*
Luc.11. *Rettulit huc aluum regali ſemine fœtam,*
Hæc nobis patria tradita fama manu.[b]
Iuſtin.li.2 *Tempore ſic alio fortes rata fortibus edi,*
12.42. Cur *Pellæum iuuenem clara Thaleſtris adit.*
tius lib. 6.
Diodor. li. *Non potuit tanto, quiſquis fuit ille, creari*
17. *Rege, niſi & tanta fortis Amazonide.*
Mas Solomone ſatus Libycas eſt iuſſus habenas
Dirigere, hæ ſexus antè minoris erant.
Imbuit ergo ſuos cœli agnitione minores,
Et patria noſtros lege beauit auos.
Tempore ſic multo pulſis (idola vocant) diis,
Cultus in hac ſimplex eſt regione Deus.

Poſt aliquot diis ſecla (vocant idola) receptis,
Spretus in hac ſimplex eſt regione Deus:
Donec Apoſtolicam quæſtor tingente Philippo, Act. 8.
Huc tulit à Solyma regius vrbe fidem.
Hîc aliis nec mas, nec fœmina, ſemiuir audit,
Aſt ego ſeſquimarem, ſeſquiuirúmque puto.
Tecta Palæſtini dum relligioſa tonantis
Barbarus extremo viſit ab vſque noto,
Lucis vbi noctiſque pares extenſus in horas
Aeſtuat, & terras rectus Apollo cremat.
Nec Saba,[c] *nunc riguo Meroe circunflua Nilo*
Porrigit, aut vmbras vſta Syena iacit.
Tantus legis amor, miſſa peregrinus vt aula
Dum vehitur rheda, myſtica ſcripta legat.
Moſe ſuper rogitans, ſuper & permulta prohetis,
Sollicitus lecti ſenſa tenere loci.
Repperit ille, ſuæ rediturus Apoſtolus oræ,
Quem diuina virum charta, Deúmque canit.
Plus hominem docet in deſerto Eccleſia fonte,
Diues in aurata quàm Synagoga domo.
Iacta ſalutis ab hoc peragit fundamina noſtræ
Aduentus, Domino cœpta ſequente, tuus.
Falſa probas, nec ſponte Dei, ſed numine læuo
Edita, quæ ſuêrant hîc dare ſigna magi.
Qualia ſacricolæ non ipſi facta negarent
Veiouis eſſe dolo, non Iouis auxilio;
Sæpè nocent, nunquam, ceſſent niſi lædere, ſanant,
Sic quoque plebs genios ſtulta iuuare putat.

Plúſque timore ſolet prauos inducta vereri,
Quàm vel amore bonos, vel pietate colat.
Quid iuuat immotos greſſum defigere ſtantes?
Membra vel officio deſtituiſſe ſuo?
Ergo ligant, ſoluis, perſtringunt lumina, tergis,
Vulnus agunt, actum vulnus inane facis.
Anguineámque cient æeis carminibus vim,
Siſtitur at verbo vis inimica tuo.
Ipſa ego Circæa galeatos arte dracones
Ante tuos memini procubuiſſe pedes.
Sopiti, iuſſique crucis manſueſcere ſigno,
Innocui luſtris delituere ſuis.
Flammiuomis oculis, & linguis antè triſulcis,
Naribus, & qua non parte venena dabant?
Denique, cuius erant vetus armatura, Satanam
E miſeris hominum mentibus expuleras,
Candidus exierat luſtralibus Indus [d] *ab vndis,*
Iier.13. *Inque ſacro pellem verterat amne ſuam.*
Contigerant noſtræ, ceu corpora, pectora genti
Plus pice, plus patriæ fuſca colore ſuæ.
Hæc tu purifico verbi cœleſtis ab imbre
Eſſe dabas Scythica candidiora niue.
Sed ſtatio rebus non eſt diuturna ſecundis,
Stare diu ſummis non ita ſæpè datur.
Munera mortales tam ſunt diuina tueri
Difficiles, facilis quàm dare magna Deus.
Nec Domino, mundi cum principe conuenit huius,
Candidat atra Deus, denigrat alba Satan.

Sim licet Aethiopum regi (nam fortè tyrannum
Dicere cognatum iam mihi relligio eſt)
Simus vterque licet conſanguinitate propinqui,
Me tamen huius agit, fértque meáſque furor.
Ad vomitum nos Rege canes cogente relabi? Prou.26
Et ſuis in priſcum more redire lutum? 2.Pet.2.
Regnet, & his, per me licet, Hyrtacus imperet oris,
Cur per eum Regi non licet eſſe Deo?
Ius ego cedo lubens regni, titulúmque paterni,
Quo dare me, quæ non ſum mea, iure queam?
Sic rapuit, ſic me, auſpice te, poſſedit IESVS,
Cuius in ære diu ménſque caróque mea eſt.
Multa fuiſſe tibi cum rege negotia Pluto Matth.9
Audiui, nec enim commeminiſſe nocet, Marc.2. Luc.5.
Cum timido, & multis quod pallet ab hoſtibus, auro, Matthæ ex publicano Apoſtolus.
Cum vitæ cupido, ſollicitóque malo.
Nulla domi propter vigiles ſecura latrones,
Nulla foris, qui quod perdere poßit, habet.
Rure timet lætis inimicos frugibus imbres,
Neu pereat pluuios merx precioſa notos,
Et quibus aſſueuit comes eſſe calumnia, Reges,
Quíque rapax omni tempore fiſcus hiat,
Quin dare ſupplicibus ne quid cogatur amicis,
Quo magis, eſt ſæuo quicquid ab hoſte, timet?
Exigit à viuis, à putribus æra ſepultis,
Exigit à nudis, exigit à ſtatuis.
Non elementa ſinit præ fœnore libera multo,
Libera quæ rerum iuſſerat eſſe parens.

Luce, niſi numeret, nemo fruitúrue carétue,
Gratuitum nemo finit inít ue diem,
Præſtat honeſtati lucrum, preciúmque pudori,
Gratus, & è quauis re bene nummus olet.
Quod genus hoc hominũ? dum publica nomina curat,
Omne hominum rapto dilaniare genus?
Hæc, & adhuc peiora, diu (Matthæe) fuiſti,
Et, niſi te Chriſto reſpiciente, fores.
At grauior, quàm cum cupido quam Dite gerebas,
Eſt mihi cum blandis pugna cupidinibus.
Ille ſuis tecum certabat, & eminus armis,
Hoſte meis luctam quo petor, intus obit.
Aliger eſt, & vel poſitos procul afflat amantes,
Et quis ab inflicto vulnere ſanus abit?
Adde quòd & recti ſpeciem, virtutis & vmbram,
Legitimi obtendit nomen inane thori.
Nam cui non placeat, quam pertentare puellam
Regali nequeat fœdere iunctus amor?
Hyrtacus os prima ſignans imberbe iuuenta,
Hæc mihi nupturiens dat bona verba procus.

HYRTACVS IPHIGENIAE. V.

O DECVS *Aethiopum, quos ſydere paſcit eoo*
Conuiuas ſuperi menſa beata Iouis,

Chara Deûm ſoboles, animo gratiſsima noſtro,
Vera Iouis proles, maxima cura mea,
Cum matura viro, plenis ſis nubilis annis,
Quò tibi perpetuæ virginitatis amor?
Téne puellares tam ducere ſegniter annos?
Tén' thalami expertes aſsimilare feras?
Ah virgo infœlix mitte hanc de pectore curam,
Omnia fert ætas, vtere ſorte tua.
Et generis lapſi ſarcire incumbe ruinam,
Aut citò lapſuram conſtabilire domum,
Quod tibi conſilium dat forma, quod innuit ætas,
Non cuperes? animo non ſequerere pari?
Coniugium, qui te docuit Matthæus alumnam, Math. 19
Et ſanxiſſe refert, & ſtatuiſſe, Deum,
Labilis inque vicem quo vitæ lampada tradant,
Igniculos iunctis indere corporibus.
Indere coniugibus, qui germine creſcat, amorem,
Alter in amplexum quo ruat alterius.
Huic amor, huic ignes, huic vincla iugalia curæ,
Sancta ſemel verbo ſeruat, alítque ſuo.
Et iubet arua coli cupidis ſua cuique maritis, Gene. 1.
In populo ſteriles nec probat eſſe ſuo.
Nec dedignatur cælebs inuiſere Chriſtus, Ioan. 2.
Atque maritales exhilarare cibos.
Et dubitas in naturæ concedere partes,
Quas homines, quas dij, iuráque fáſque probant?
Non ego furtiuum meditor veſanus amorem,
Te peto, iura meo quam pepigere thoro.

Accipe dáque fidem, regnis potiamur auitis;
Imperio noſtrûm regnet vterque pari.
Connubio ſtabili nos iungat Apoſtolus auſpex,
Sit penes hunc regni pars quotacunque mei.
Sin te nulla mouet tantarum occaſio rerum,
Nec ratio iuncta mitigat vlla prece,
Nec ſedet hoc animo, nec te non digna ferentis
Iam miſeret, miſerum coge puella mori.
Ales enim, qui nos infans, ſuperóſque triumphat,
Quem toto excepit ſtulta iuuenta ſinu,
Vix bene dum natos in me non neſcius ignes,
Mirificis fouit ſpebus, & illecebris.
Spebus & illecebris me non redamantis amicæ
Quàm quiuis alius, plus adoleuit amor.
Paſcitur, atque loco nunquam fruitura cupito
Vulneribus creſcit flamma relicta meis.
Et vetus hic vllo niſu exturbarier hoſpes,
Aut ſemel inſeſſo cedere corde negat.
Quippe velim, nolim, mecum conuiuat oportet,
Qui puer inuito præualet iſte mihi.
Sed mihi ſpes ſupereſt, nolit, velit ipſe viciſſim,
Maturaturum me moriente fugam.
Sic ait, Excepi demiſſo talia vultu,
Christi nubæ qualem virginis eſſe decet.

QVAM pro me princeps curam geris Hyrtace, pro me
Pone precor,nec iam te grauet iſte labor.
Cor nouus hoc habitat, ſed virgine matre Cupido,
Matris Acydaliæ pulcher Amore magis.
Mens immota manet tot dedignata maritos,
Nullus amor,non me flexerit vllus hymen.
Si quid amor,quid hymen,quid vincla iugalia noui,
Nolo mihi pereat, quod perit,ídque ſemel.
Stat magis in ſyluis,quàm nubere,more ferarum
Degere,ſi cœlebs vita ferina modò eſt.
Quin magis officio carnis ſine, carnea membra
Quæ gerit,eſt ſanctis proxima cœlitibus.
Nec noua, temporibus nec res incognita priſcis,
Quámque putas,rarus virginitatis amor.
Sunt Charites, ſunt innuptæ cum Pallade Muſæ,
Errat & in cœlis virgo Diana tuis.
Quæque pharetratam comites coluere Dianam
Iaſis in ſyluis, Icaris in ſuperis. Atalanta. Erigone.
Dulce quidem matris neſcit Proſerpina nomen.
Regina eſt Herebi non minus illa tui.
Quàm bene montiuaga contenta Camilla Diana
Audit apud veſtros,ô bone,verſifices?
Filia caniciem capti miſerata parentis, Harpalic
Eſt rigidos inter nota puella Getas.

Nota reluctantes mihi quæ cognominis auras,
Auertitque grauem victima viſa luem:
Et Iouis inflexo veſtri, vel numine læſo,
Si qua fuit patriæ pœna, ſalúſue, ſuæ.
Quíque Dionæis vixit ſine ſordibus, vnus
Scilicet eſt hominum Virbius Hippolytus:
Tot iuuenes, tot Narciſſum cupiere puellæ,
Nemo frui iuuenis, nulla puella poteſt.
Plin. lib. 5. cap. 17. *Naſcitur Eſſenus toto non vnus in orbe,*
Et genus eſt nulla compare perpetuum.
Sũt Dryades, ſunt gens tanto plus maſcula Nymphæ,
Quì minus eſt oculum ſueta videre marem.
Sunt minus hòc quidam muliebri pectore Thraces,
Fœmineas ſpernunt quò magis illecebras.
Plat. 8. de Leg. *Exortes veneris quos ſpectat Olympus athletas,*
1. Cor. 9. *Laurea victores, ſed peritura manet.*
Hæc tibi ſint exempla, deóſque deáſque vocanti,
Nomina non alias ore loquenda meo.
Nec me nulla tamen vis, Hyrtace, tangit amoris
Viſceribúſue hæret cornea fibra meis.
Coniugium communis opus legémque parentis
1. Cor. 7. *Non inuita probo, ſed meliora magis.*
Nanque (fatebor enim) non huius gaudia vitæ
Quæro, nec huic animo tam fugitiua placent.
Pſal. 44. *Ille hominum natos inter pulcherrimus omnes,*
Ille beatorum gloria ſpirituum:
Seſsitat in pulchris cuius Suadela labellis,
Gratia formoſo cuius ab ore fluit.

Ille hominum, diuúmque æterna & vera voluptas,
Ille creaturæ forma, decórque ſuæ,
Ille Deo æterno patrique coæuus IESVS
Funerea meus eſt in cruce fixus Amor. f
Amplexus genitrix cui ſola ignara virilis, Verba. D. Agnetis apud Amb. Serm.90.
Fœmineæ pater eſt neſcius illecebræ.
Quam dum concupio, virgo, dum tango, pudica,
Sum nihilo, quem dum baſio, caſta minus.
At teneræ vidiſſe virum ſi noxa puellæ eſt,
Alloquium peius, quid tetigiſſe putem?
Fortè mihi curas eſt conciliandus amator
Qui leuet, & rebus conſulat ipſe meis.
Næ lepida huius adeſt ſolati occaſio, ſed cui
Numen obeſt, & vel morte tuendus honor.
Sponſa fidem charo quam dátque capitque marito, Rom.7.
Alterius ſolui non niſi morte poteſt. 1.Cor.7.
Quam ſemel humano guſtauit nomine mortem Heb.2.
Qui noſtri eſt conſors, non obit ille, thori. Rom.6.
Ergó ne qui ſupereſt hominis deducere ſponſam
Non potes, & Chriſti quæ ſit, habere potes?
Quod non ſupplicium, quæ non tormenta meretur,
Non quibus aut flammis, aut cruce dignus erit,
Regifico ſeruus veſtigia figere lecto
Si velit, & dominæ ſuauia ferre ſuæ?
Si labra zelotypus ſeruili vxoria morſu
Arguat, & fœdis liuida colla notis?
At ſibi me iunxit ſponſus, propriámque dicauit,
Principe qui nullo regnat vbique minor.

Matt.10. Luc.12. *Qui vel inextinctis animam cum corpore flammis*
Iniiciat, tu rex ſis licet, illa potes?
Aut animam æterna donet cum corpore vita,
(Vera loquor) tu rex ſis licet, illa potes?
Eſte procul comptique ſenes, iuuenéſque venuſti,
Veſtræ alias moueant ſolliciténtque preces:
Nemo viri me vel dominam, vel dicat amicam:
Nemo mihi ſeruus, nullus amator erit.
Fœdera promiſſi ſeruabo illæſa pudoris,
Virginis & quicquid debet ineſſe thoro.
Non moror aut frigus, deſertí ue ocia lecti,
Nec vacuos cœlebs conquerar ire dies.
Sunt ſupero pudor atque fides ſeruanda marito,
Cuius ego cùm ſim, non licet eſſe tuam.
Quas mihi ſpes, quas illecebras, quæ tu ioca iactas,
Quàm cunas memini non magis ipſa meas.
Tale puellaris ſiquid tamen attulit ætas,
Has etiam miſſas fecit adulta nuces.
Proinde tuis & me ne confice, téque querelis,
Ex male ne cœpto fiat amore furor.
O tibi de rebus mecum ſentire ſupernis,
Communem modò ne det Deus eſſe thorum.
Cùm verò idolis pergas ſeruire prophanis,
Vnius ancillam me iuuet eſſe Dei,
Iunctáque ſordeſcat non auſpice copula Chriſto.
Nube pari, ſi vis nubere ritè, Vale.

CONTINVATIO SVPERIORIS Epiſtolæ S. Iphigeniæ ad D. Matthæum.

TALIBVS excluſi dictis, iuſſique ſaligna
Hyrtacum amatorem cingere fronde caput.
Et nunc non dubiam mortem Matthæe minatur,
Inque tuas pœnas ingenioſus erit.
Si ſemel occideris, lucem mihi vita peroſæ
Quid niſi mors? perpes quid niſi martyrium?
Mors cita martyribus venit, & victoria læta,
Vltima momento clauditur hora breui.
Horum noſtra cruces, palmas: pœnáſque, triumphos:
Natáléſque ſolet gens vocitare neces.
Sanguine ſed nullo longúmque perennéque caſtis
Martyrium viduis, virginibúſque ſuum eſt.
Lucta nec eſt, quàm morte ſemel finire dolorem,
In carnem leuior quotidiana ſuam.
Non ſemel inuictos Martis terrore, voluptas
Vincit, & indomitos inſidioſa domat:
Illecebris dant ſæpè locum, quos nulla tyrannis,
Carnificum nullæ quos domuere minæ.
Qui ſtrauere viros, blandis ceſſere puellis, Nume. 25.
Nil mage cordatos infatuare ſolet. Eccl. 19.
Sunt ſua ſanguineis pax, induciæque tyrannis,
Contra noſtra nihil nos mala tale manet.

Et datur externas interdum euadere dextras,
Eſſe quis interno tutus ab hoſte poteſt?
Carne gerunt omnes: hunc qui fugiátue, necétue,
Se niſi qui fugiat, vel necet, vllus erit?
Cypria. de *Qui quoniam aſſultu vires parat, vna rebellem*
ieiunio. In *Vincendi ratio eſt, qui fugit, ille fugat.*
nocét. 3. de
cõtemptu *Altera, congreſſum mactat, qui macerat, hoſtem.*
mundi. li. *Egeritur lacrymis, egeritúrque prece.*
2. ca. 22.
Matt. 17. *Et certamen erit virgo cum martyre magnum:*
Marc. 9. *Eſt vbi diſsimiles, eſt vbi dico pares.*
Sed ſuper humanas ſunt hæc luctamina vires,
Vincat vter, magni eſt munus vtrunque Dei.
Cypria. li. *Cuius habet violis permixta roſiſque quaſillus*
2. epiſt. 6. *Lilia, habet flores pugnáque páxque ſuos.*
Auguſtin.
Ser. 37. de *Si modò ſacratis pax vlla quiéſue puellis,*
Sanctis. *Non potius pugnam nocte diéque gerant.*
Hæc mihi dictabas, memini, Matthæe, meiſque,
Impoſita cùm ſunt tradita vela manu.
Præ quibus haud vllo fuerint ſumenda iubente
1. Cor. 7. *Signa maritalis flammea ſeruitij.*
Cuius in hoc cum deliciis qui tædia mundo
Contulerit, lectus quæ genialis habet,
Cant. 2. *Quod rigidos inter ſunt mollia lilia vepres,*
Apoc. 2. *Inter erit nuptas innuba ſollicitas.*
Manna, *Iſta maritali quæ colla dedere capiſtro*
quod ne-
mo nouit, *Linquo, nil matris dixero turpe meæ.*
niſi qui ac *Et facile eſt qui nos pungant cognoſcere ſentes,*
cipit. *Noſſe voluptates, quæ capit, vna poteſt.*

Sit licet in cœlis cum ſponſo abſcondita merces, Col. 3.
Sit penes æternum noſtra repoſta patrem.
Martyris expleta clareſcat adorea morte,
Hîc quoque virginibus laus ſolet eſſe ſua.
Quale decus! quàm natiuum! quod barbarus hoſtis,
Muta quod, & gentes tum coluere, putas?
Bruta verecundo docuit manſueſcere vultu, Aelian. de animali. li. 6. cap. 17.
Qui fera virgineus pectora tangit amor.
Quale puellares ſpectaclum eſt inter & vlnas Cœlius li. 25. ca. 29.
Anguis, & in caſto bellua prona ſinu!
Et medio nobis parcit Bellona tumultu, Nume 31. Iudic. 21.
Virginibus quî non parcere virgo velit? Mulierib. in bello interfectis, virgines reſeruantur.
Non ſua ſit Phœbas perituris credita Teucris.
Quàm miſer illata vi procus occubuit? Caſſandra Aiax.
Qua Milete tuis raptorum morte puellis?
Nec licuit caſtis viuere, Cadme, tuis?
Sacrificas inter tot Locridas, atque Lacænas, De virginibus Mileſiis, Thebanis, Locren. & Spartanis Hieron. in Iouinian.
Admiſit maculam nulla pudicitiæ
Et fuit, occiſor qui virginis eſſe pudicæ,
Quàm pater oppreſſæ viuere maluerit.
Quanta vel æternum culti ſeruantibus ignem Cœlius li. 14. 23. ca. 1.
Gloria, vel læſi pœna pudoris erat?
Iura togatorum ſuper eſt, legéſque Quiritum, Virginius Roman.
Eſſe iubet ſaluos obuia virgo reos.
Et rerum aſſurgunt Domini, cedúntque Latini,
Inuectam media cum placet ire via.
Et ſua virginitas caſtis inſigne [f] Sibyllis,
Hic erat æterni præſcia conſilij.

Hippias maior. *Neſcio quis docto, ſophus ánne ſophiſta, Platoni*
Virgine nil pulchra pulchrius eſſe probat.
Qualis erat Sophiæ cultrix, hæréſque paternæ,
Virgineis Damo & Pythagoræa choris.
Virginibus quòd ſi mundi laus tanta profanis,
Quanta piis Chriſti gratia virginibus?
Luc.23. *Lacte graues nullo qui prædicat eſſe beatas,*
Arua beat nullo feſſa puerperio.
Matt.25. *Sunt fatuæ, ſunt ſqualentes, ſunt denique falſæ,*
Thren.1. *De veris, nitidis, ſimplicibúſque loquor.*
Luc.12. *Non illis operum deſit laterna bonorum,*
Matth.25. *Non oleo lampas deficiente perit,*
Sed meditantur in hac, quod ſe fore carne moratur,
In Domini quiſquis viuit, obítque fide.
Quod mage venturæ ſpecimen memorabile vitæ,
Vel caperet mundus, vel daret inferior,
1.Cor.7. *Quàm Domino, nulla quod ſollicitudine ſacrum*
Fert animi, fert quod corporis integritas?
O decus, ô cœtus per ſancta ſuperbia noſtri,
Omnia præ ſponſo temnere quamque ſuo.
Huius opes infra conſortis, & huius honores,
Mundus honoris, opum, ducere quicquid habet.
Hoc mihi guſtato caro deſipit omnis amico,
Eccl.24. *Quóque huius calicem plus bibo, plus ſitio.*
Eſa.28. *Alterius patiens non eſt mihi lectus amantis,*
Palliolum plures non operire poteſt.
Hæc igitur faciat charus mihi ſponſus, & addat,
Antè ſacer minuam quàm tua iura pudor.

Excidat antè mihi quàm caſto è corpore caſta
Mens, precio quouis merx precioſa magis, Eccle.26.
Vtque volo quo dante, queam ſeruante tueri,
Quas ego te didici fundo docente preces.
O pater humanos animas qui mittis in artus, Oratio pro virginitatis impetranda cuſtodia.
Noſtráque limoſa corpora fingis humo,
Quíque hominis nihil, ætatem, ſexúmue, genúsue,
Muneribus dignum non ratus eſſe tuis,
Aequa ſorte creas, æquali merce redemptos
Et regis, & ſaluos, perpetuóſque facis.
Quas gregis ex omni bonus eligis ordine paſtor,
Perpetua quæ te virginitate colant,
Vt caſtam in caſto reddant tibi corpore mentem,
Auxilij ſanctus protegat vmbo tui.
Quas virtutis opus, quas laudis ad omne paraſti,
Imperij famulas méque, meáſque tui,
Corporis illecebras da vincere, quæque licebant
Gaudia, ſubmoti non meminiſſe thori.
Ne caro, ne valeat mundi cum principe mundus,
Vincula cœleſti ſoluere iuncta viro.
Neu deſyderium ſemel eiurata relinquant,
Quóſque ſolent ſtimulos, ingenioſa ciant.
Suggere virgineæ non carnea tela coronæ,
Digna ſed aſtricta Spiritus arma fide.
Ne dominetur in hoc peccati innata libido
Corpore, te ſenſus Chriſte tuente meos.
Méq; meáſque (mihi nam quod precor, adprecor illis)
Nos obeat vallo gratia dia ſuo.

Vt nihil in nobis ſpurcus ſibi vendicet hoſtis,
Quas ſibi vaſa tuum iam ſacra nomen habet.
Inſitus affuſo cœlis calor imbre tepeſcat,
Perpetuæ accenſa luce pudicitiæ.
Non offendiculum facies, vel aperta periclum,
Quæque ſit incautis criminis anſa, creet.
Caſta caro, quam mens corrumpit adultera, non eſt:
Inficitúrque animi, munda ſit vſque, luto.
Sunt licet intacto plures in corpore mœchi,
Si cor habent leuitas, ambitus, ira, tumor.
Sit ſpeculi ſcriptura loco, quæ reddit, & omnes
Humanis maculas eluit ex animis.
Deſipit, huic quæ ſe comit muliercula mundo,
Cui ſuus in ſummo eſt vírque Deúſque polo.
Pſal.44. *Quàm graue nupturas baccis, auróque monile,*
Partenicem cultus tam decet interior.
Sit caro culta licet gemmis, bombyce, vel oſtro,
An ne poteſt aliud quàm tamen eſſe caro!
Cui vel ſe poliat, vel virgo placere laboret?
Vnicus ornandæ virginis author abeſt.
Mentis amat pigmenta, alÿ faſtidia comptus,
Alter ei cultus nauſea, ſqualor, odor.
Queis opus eſt ſerto violis in cœlibe, ſint ſpes,
Certa fides comites integra, purus amor.
Sint epulum nobis ieiunia, lectio ſacra
Sit cibus, aſsiduæ pabula læta preces.
Ante pedes, & quæ fingit bona dæmonis aſtus,
Falſa putet, malit virgo, futura ſequi.

Gratia ſic comi ſolitis, paſcíque puellis,
Præſtet inoffenſum virginitatis iter.
Pollicitæque tua qua ſunt ope Chriſte, pudoris
Ad laudem valeant reddere vota tuam.
Per te, per, qui te genuit, mi Chriſte, parentem,
Quíque vtriuſque ſacer Spiritus ore fluit,
Per genitorem inquam, per ſpem redeuntis IESV,
Succeſſum preculis Pneuma per oro meis.
Sic Paradiſus erit caſtæ ſua cuique ſorori
Cellula, cui mundus non niſi carcer erat.
Sic ſocias, ſic me quondam (Matthæe) docebas,
Ritè ſcholæ teneo ſi documenta tuæ.
Viue, valéque, tuæ non immemor Iphigeniæ,
Si meritis digna eſt hæc modò vita tuis,
Sed peregrinus in hoc, illo ſeu ciuis in orbe es.
Seu tibi præmoriar, ſiue ſuperſtes ero.
Efficiam precibúſque tuis, ſponſíque fauore,
Depoſiti vt nequeat te piguiſſe tui,
Depoſiti, cui par nihil eſt tellure recluſum,
Cui nullo ſimilis condita gemma loco.
Sed iam nolo mei quàm non meminiſſe magiſtri,
Diſcipulæ tu tam ſis memor, atque Vale.

VII.

Dan. 13.

Conſpicuam forma, florentem ætate Suſannam [a]
Obſcœni miſerè deperiere ſenes.
Virgo [b] *verecundum propter perplexa pudorem,*
Sic, inſtaret amor dum maleſuadus, ait:
Perfida ſi veſtris non auſibus inſtito, iam ſum
Nulla, reclamantem mors inhonora manet.
Ergo mei ſeu vos explerit copia, ſiue
Obloquar, alterutrum faxo, peribo tamen.
Sed melior ſanctæ mors diſſentanea vitæ,
Quàm mala contempto mens, animúſque, Deo.

Suſanna Matronis Iudææ.

Vos, ô curarum expertes, lacrymáſque peroſæ,
Ora quibus melicis exhilarata ſonis,
Si quis amor, Comites, vos ignibus vrit honeſtis,
Tam tragicis par eſt illacrymare malis.
O mihi fatalem (ſi ſunt modò fata) decorem,
Immeritæ ſi me deſtinat iſte neci!
Cauſa meæ non eſt aliunde petenda ruinæ,
Qua digito infœlix prætereunte notor.
Næ, tanto gemitu me confectura venuſtas,
Digna peti tantis non erat inſidiis.

Atque vtinam ad thalamum dos hæc delata iugalem
Ne foret, hoc laudis probrum habitura ſuæ.
Grata licet multis (teſtis mihi muneris autor)
Hæc venus eſt vni gratificata meo:
O malè cuſtodem nudati corporis hortum,
Artifices tanti quo latuere doli!
Sola nec exitij eſt in corpore gratia pulchro
Cauſa, pudicitiæ eſt altera, fama meæ.
Quid tamen infamem præter, fœdámque repulſam
Exprimere armatæ tum potuêre preces?
Abſit vt admiſſæ viuam male conſcia culpæ,
Malo vel ante diem (ſed ſine labe) mori.
Quis tibi nobilitas, animus? quis tum tibi vultus,
Cùm pluet in ſocium ſaxea grando caput?
Sis memor, ô, longúmque vale chariſsime mi vir,
Illæſámque tibi ne dubitato fidem.
Téque, tuo quæ me vel nomine ſola fatigat,
Mœchorum haud moueat fabula vana ſenum.
Non viſura parens, non vos viſura parentem
Pignora, longum etiam certa valere iubet.
O Deus, æterni qui proſpicis arbiter æui,
Exhauſtas gemitu mî maduiſſe genas,
Noſti falſiloquus quæ ſtigmata mœchus inurit,
Somnia, ſcis nugas crimen id eſſe meras.
Saxa, vel indignas populi non deprecor iras,
Nutus ad hæc ſi me deſtinat arma tuus.
Hanc animam non ægra tuo proiecero iuſſu,
Conſecrer vt patrio victima grata ſinu.

Hanc tamen & mœchis, & teſtibus exime noxam ;
Hoſtibus eueniat gratia páxque meis.
Tot quoq; per lapides vni me iũgito PETRAE,[c]
Quæ populi ſpes eſt manibus vna tui.
Sic ad te, ſic me patrias iuuet ire per vmbras,[d]
Triſte fides fuſo ſanguine vincat iter.
Sic periiſſe ſit haud perituræ ianua vitæ,
Me pater ad populum[e] *collige ſanċte meum.*

Tabella abſolutoria.

Luget ab inſano ſic circunuenta ſenatu,
Mox ad carnifices danda puella manus.
Non tulit hanc numen deſerta cedere cauſa,
Innocuæ litem ſuſcipit ergo reæ.
Lucis & vſuram præſtat, miróque ſalutem
Expedit, & famæ conſulit, effugio.
Ilicet oppugnent mundus, caro, dæmones, à qua
Stat Deus, eſt bene pars iudice tuta Deo.

SEQVVNTVR, QVAE IN PRAEfatione promiſimus, Scholia in præcedētes Epiſtolas: ea verò minutiores literæ verſiculis implicatæ alphabetico ordine hîc ſequentia indicant.

IN TABITHAM.

a. Quæ de Petronella Petri Apoſtoli filia diximus, quòd à patre, multis alioqui ſanitatis autore, febricitare permiſſa, quaſi ſic ei præſtaret & expediret, & ne id impotentiæ aſcriberetur, ab eodem conuiuis modò reficiendis miniſtrare, modò refectis, iterum febrire iuſſa, quòd Flaccum comitem procū aſpernata, virgo permanſerit, vt ad eius nuptias vocatæ matronæ, exequiis adfuerint, vel vulgo nota ſunt, & à clero decantata. AVREAE epithetum non intellexerit, niſi qui legerit, Paulum Romæ pontificem huius nominis primum, dum tantò pòſt eius corpuſculum transferre curat & trāſponere, aperto ſarcophago marmoreo, patris manu ſcriptum reperiſſe, AVREAE PETRONELLAE FILIAE DVLCISSIMAE, ſeu DILECTISSIMAE. Totius quicquid eſt hiſtoriæ autores ſunt, in Martyrologiis Beda & Huſuardus pridie Calendas Iunij, cum his verſiculis,

Tum pridie Petronella Petri de germine ſancto
Fulgida virgo micat, Chriſti trabeata decore.
& 17. Calend. Octobris,
Septenum denum Nicomedes preſbyter ornat,
Virgo tuus Petronella, comes, martyrque beatus.

Sigebertus in Chronico ad annum Domini 758. Platina in Paulo I. Volaterranus lib. 18. Anthropologiæ,

& ſi quis non dedignatur Sanctorum catalogum lib. ſ. cap.69.

b. Vtinam non conueniret noſtro ſeculo illud quod ad Euſtochium ſic inuertit Hieronymus, Petrus Apoſtolus inquit, Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do, &c. At nunc multi, licet ſermone taceant, opere loquuntur, Fidem & miſericordiam non habeo: quod autem habeo, argentum & aurum, hoc tibi non do.

c. D. Hieronymus ad cap. Ionæ prophetæ 1. de Ioppe Iudææ portu loquẽs, Hic (ait) locus eſt, in quo vſque hodie ſaxa monſtrantur in littore, in quibus Andromeda religata Perſei quondam ſit liberata præſidio. Scit eruditus lector hiſtoriam. Et in Epitaphio Paulæ, Ioppen portum fugientis Ionæ, & (vt aliquid perſtringam de fabulis poetarum) religatæ ad ſaxum Andromedæ ſpectatricem, eleganter eam dixit. Valla lib. ſ. Elegantiarum cap. 6. oblitum eſſe fabulæ Hieromum putat, & manifeſtum eorum eſſe errorem, qui hanc eſſe Andromedæ vrbem opinantur: cùm ſit in India ciuitas Tharſis, ſiue locus aut regio, vt ibidem, & ad Marcellam epiſtola, cuius initium Nuper, idem me minit, vnde illa fuit. Hinc Ouid. 1. de Arte,

Andromeden Perſeus nigris portauit ab Indis.

& Sappho ad Phaonem,

Andromede patriæ nigra colore ſuæ.

Ego verò Hieronymi non ſenſa modò, ſed verba quoque apud ſcriptores reperio, quorũ teſtimonium eleuare non facilè poſſit Laurentius. Sic enim habet Plinius lib. ſ. cap. 31. In Phœniceo deinde mari eſt ante Ioppen Paria, tota oppidum, in qua obiectam beluæ Andromedã ferunt, iam dicta Arados. Et lib. 9. cap. ſ.

Beluæ, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, oſtendit inter reliqua miracula ædilitate ſua M. Scaurus, longitudine pedum x l.&c. Solinus item cap. 47. Ioppe oppidum antiquiſſimum orbe toto, vt potè ante inundationem terrarum conditum, ſaxum oſtentat, quod vinculorũ Andromedæ veſtigia adhuc retinet, quam expoſitam beluæ nõ irritus rumor circuntulit, quippe oſſa monſtri illius Scaurus Romæ publicauit, Annalibus nota res eſt, & menſuræ veracibus libris continentur,&c. Mela quoque lib. 1.cap. 11. Eſt Ioppe ante diluuium (vt ferunt) condita, vbi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ affirmant, quòd titulum eius, fratríſque Phinei, veteres quædam aræ cum religione plurima retinent, quinetiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, ſeruatæque à Perſeo Andromedæ, clarum veſtigiũ beluæ marinæ oſſa immania oſtentant. Sunt (inquit Strabo lib.1.) qui Aethiopiam in noſtram Phœniciam traducant, & res de Andromeda geſtas in Ioppe contigiſſe aiunt, non quidem per locorum aut rerum quæ dicuntur ignorantiam, ſed fabulæ potius figura. Et lib. 16. hoc in loco (Ioppe) nõnulli Andromedam ceto expoſitam fabulis tradidere. Sed ſiue hiſtorica, ſiue fabuloſa fuerit expoſitio, hæc ſatis pro Hieronymo. Ioppe igitur vicus, quondam oppidum, à quo & Ioppica toparchia, bellis Iudaicis Veſpaſianorum ductu bis direpta, poſtremò euerſa, vulgò hodie portus Iaphet aut Iapphæ, prima in terram promiſſionis peregrinantes ſtatio excipit. In hac Tabitham Domini diſcipulam Petrus princeps Apoſtolus à mortuis ſuſcitauit.

d. De D. Petri vxore hæc comperi, Aiunt eum cùm illam videret ad paſſionem & mortem abduci, vehe-

menter gauiſum vocationis & electionis gratia, quaſi ad patriam reuerteretur, quin valde hortando & conſolando, proprio ei nomine ſic acclamauiſſe, Heus tu, ſiue, O coniux, ſiue, Memineris, ô mea, Domini, obſecro. Hæc ex Clementis Alexandrini Stromaton lib.7. Euſebij hiſtoria lib.3.cap. 30. Nicephor. lib. 2. cap. 44. Et ſanctæ quidem martyris ac matronæ illi nomen nō edunt. Sic enim habet vltima Euſebij editio, O. N. Memento Domini. Huſuardus in martyrologio, & innominatus autor, cui titulus, Viola Sanctorum, pridie Non. Nouemb. Perpetuam, neſcio quem ſecuti, nominarunt. Cùm à tortoribus (ait hic) eam trahentibus ad martyrium vrgeretur, Petrus audacter ita eſt eam exhortatus, Vxor mea, memor eſto D. Ieſum pro te paſſum, nec eos timeas qui corpus occidunt, &c. Sic lætanter & fortiter mortem pro Chriſto ſuſtinuit. Et hanc certè legere eſt apud Clementem lib.7.& 9.Recognitionum, vnà fuiſſe in Diui Petri peregrinatione, & Romam profectione, quod Hieronymo non placet. Sic enim Iouiniano de hoc reſpondet, lib.1. Poſſumus de Petro dicere, quòd habuerit ſocrum eo tempore quo credidit, & vxorē iam non habuerit, quanquam legatur in Περιόδοις & vxor eius & filia: ſed nunc nobis de canone omne certamen eſt. hæc ille.

e. Tabitha quæ D.Lucæ Act.9. Dorcas Græcè interpretatur, Latinè ſonat Damam vel capream, Origeni homil.2.in Cantica, Hieronymo interprete, ſecundum eorum phyſiologíam qui de naturis animaliū diſputant, ex inſita ſibi vi nomen accepit, ab eo enim quod acutiſſimè videt, id eſt, παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν, Dorcas appellata. Et homil.3. Nec habet tantùm ca-

prex

preæ natura, vt acriter perſpiciat, ſed & aliis viſum præbeat. Aſſerunt nanque medicinæ periti, ineſſe huic animali intra viſcera, humorem, qui caliginem depellat oculorum, & obtuſiores quoſque viſus exacuat. Hinc idem ad Pammachium & Oceanum, Ad cæteros (ait) talpæ, caprearum in me oculos poſſidetis. Et ad Magnum, Cui quæſo; ſuadeas, ne oculos caprearum talpa contemnat?

IN DRVSIANAM.

a. D. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, Pſeuſippus ſororis Platonis filius, & Clearchus in laude Platonis; & Anaxilides 2. lib. philoſophiæ, Perictionē matrem Platonis, phantaſmate Apollinis oppreſſam ferunt, & ſapientiæ principē non aliter arbitrantur, niſi de partu virginis editum. Cuius fabulæ eoſdem citat autores, lib. 3. Laërtius.

b. Hieronymus in proœmio commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios, Dianam hanc nō venatricem, quæ arcum tenet & ſuccincta eſt, ſed πολύμαστον, multimammiam, interpretatur, quaſi ipſa effigie omnium viuentium matrem & nutricem ſe mentientem.

c. Simeon Metaphraſtes facit Timotheum Pauli diſcipulum, Ioannis Apoſtoli in Pathmon ex Cicladibus inſulis vnam relegati, Epheſi ſucceſſorem: & rurſum Timothei ibidē in Dianæ feſto lapidati, Ioānem.

d. De D. Ioannis ex hoc mundo tranſitu, id meritò vſurpari poteſt,

Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur:
occaſione ſumpta ex nouiſſimis Domini de Dilecto ſuo verbis, Si ſic eum volo manere, Ioan. 21, per eius

coapoſtolos ſic acceptis,quaſi is vel nūquam,vel certè non ante poſtremum Chriſti ad nos aduentum moriturus eſſet, cùm ipſemet Euangeliſta fratrum hanc de ſe opinionem correxerit, ſic inquiens, Et non dixit ei Ieſus, Non moritur: adeò tamen non ſuſtulit, vt non minus, quàm tunc Apoſtoli, fuerit hac de re opinioſa poſteritas. Fuerunt enim, qui in ſepulchro, quod apud Epheſum multò poſt extabat,dormientem potius quàm mortuum eſſe, & defuncto ſimilem magis quàm defunctum iacere contenderent,argumento inde ſumpto, quòd illic terra, quam alij manna, alij minutum puluerem intellexerunt, ſenſim ſcaturiat, & quaſi ebulliat, ac ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat,& quodam modo viuat ac ſpiret,& ſubinde ablata ſuccreſcat, ex quieſcentis veluti flatu & anhelitu impulſa.Quæ ſint licet apocrypha,D. tamen Auguſtinus tractat. vlt. in Ioan. (cuius aliena recitantis ſuperiora verba ſunt)id ſe reuera non à leuibus hominibus teſtatur audiuiſſe,vt minus mirum ſit,Simeonē Metaphraſten,idem in eius Apoſtoli vita renarrare, & cū Enoch eum & Elia coniungere. Quod etiam nō ita pridem Georgius Trapezuntius opuſculo ſuper hoc edito, & Pontifici Romano, Pio, opinor, II. nuncupato, non dubitauit aſſerere, Ioannem nimirum nondum eſſe mortuum, nec ante Antichriſti tempora moriturum, quod inter veteres ita innuerat Hilarius,Loquatur Ioannes vſque ad aduentum Domini manens, & ſub ſacramento diuinæ voluntatis relictis deputatus, dum non neque mori dicitur, & manere, lib. 6. de Trinitate, ſubobſcurè, vt reliqua propè huius omnia.
Neque verò hoc contenti Græci quidam, ſuſcitatum etiamnum, & beata cum Chriſto corporis immortali-

tate in cœleſtibus veſtitum aſtruunt. Quos inter Nicephorus lib.2.cap.42. Dei, ait, ineffabilis gloria, ea quã ipſe ſolus nouit, hora illuceſcens, corpus diſcipuli terrenum & corruptibile in immortale & incorruptibile tranſmutauit, & in paradiſum recepit. Inter Latinos Anſelmus, ſi eius modò eſt libellus, quem inſcribunt Elucidarium, in Ioanne præceſſiſſe, quod de electis viuentibus, & Chriſto venienti obuiam ituris, 1.Theſ.4. ſcribitur, nimirum cum corpore raptũ, & in ipſo raptu, actu mortuum credi reuixiſſe. Et quem plus mireris, D.Ambroſius modò hoc, modò illud videtur ſentire. In fragmento, ni fallor, de fide Reſurrectionis acephalo, Promiſſum Ioanni, non mori, æſtimatum eſt, non creditum, ipſo in libro negat ſibi, quod non moreretur, eſſe promiſſum, ne quem vana ſpes exemplo inceſſeret. At in pſal.118.ſerm.20. verſ.1. Omnes, inquit, per ignem probari, tranſire per flammas oportet, quicunque ad paradiſum redire deſiderant, ſiue ille Ioannes Euangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum, Sic eum volo manere, quid ad te? De morte eius aliqui dubitauerunt: de tranſitu per ignem dubitare non poſſumus, quia in paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto. Quod autem ſequitur, Sed Ioanni citò verſabitur igneus gladius, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas: ſi quid in eo vitij humani fuit, charitas decoxit, &c. Hunc locũ fateor mihi non liquêre. Modeſtiſſimè Hieronymus, ſeu quiſquis eius nomine olim ſermocinatus eſt de Aſſumptione B. Virginis Mariæ, eorum quæ de beati Ioannis morte, manna, & ſepulchro, alij aliter aſſeuerant, quid verius cenſeatur ſe ambigere: proinde Deo melius totum committi, quàm aliquid autoritate no-

ſtra definire, quod non probemus. Sed gratia Domino, quòd hi rumuſculi nihil ad nos, non magis certè quàm Chriſti de Ioanne verbum ad Petrum: vt licet inſpecta diligenter hiſtoria Eccleſiaſtica, quod ait ad Eſychiũ epiſt.80. Auguſtinus, reperiatur fuiſſe defunctus: adeò tamen vel hoc vel illud dicere, quod equidẽ legerim, cõtra fidem non eſt, & Eccleſia nihil dum reſoluit, vt ſermonem hac de re irreſolutum quotannis legat. Et memini pium atque doctum ordinis noſtri virum, ſuperiorum opinionum primam cum bona venia Theologorum, ídque probabiliter, & pro more ſcholaſtico defendiſſe. Illud magis ad rem & fidem pertinet, firmiter & ſimpliciter credere, quicquid de ſibi dilecto dixit Dominus, quo id modo cunque vellet, eueniſſe, vel euenturum eſſe: & quicquid eius placitũ fuit voluntati, indubiè factum, vel faciendum. Qui ſecus hoc vel illud præfractius contenderit, aut diſceptauerit, meritò audiet, Quid ad te?

e. Qui pileatos Miniſtros, quaſi petaſatos Mercurios, hodie malunt quàm mithrophoros Epiſcopos, totúmque cultum epiſcopalem inter ſacra, velut Aaronicum, tantum non irrident, irrideant vnà quod de Ioanne noſtro ſcripſit in cauſa ſeria Polycrates, eius in Epheſina Eccleſia ſucceſſor, in epiſtola Synodica ad Victorem huius nominis I. Romanum epiſcopum. Sed & Ioannes, ait, qui ſupra pectus Domini recubuit, quíque cùm ſummus Dei ſacerdos ſeu pontifex, ac ſacrorũ antiſtes eſſet, epiſcopale ſiue pontificium inſigne πέταλον geſtauit, martyrque ac doctor egregius fuit, Epheſi obiit, vt habet poſt Euſebij hiſtoriam lib. 3. cap. 31. lib. 5. cap. 24. Nicephorus, lib. 2. cap. 44. & lib. 4. cap. 37. Quem locum hinc Hieronymus in Catalogum

ſuum πέταλον vertit,auream laminam in frõte portans, Sophronius rurſum reddidit χρυσοῦν πέταλον,quo verbo vtuntur Lxx. Exod. 28.29.

f. Quem Callimachum Abdias, Calimagum vocat Rhapſodus anonymus ante Abdiam editus, eiuſdem monetæ hiſtoricus. Quæ autem de huius inſanis in Druſianam amoribus vterque effutiit, tam ſunt non modò non veriſimilia,ſed etiam ſpurca, putrida, horrenda,vt meritò talium librorum vel ſolius inſcriptionis pudere debeat:ea quàm breuiſſimè & honeſtiſſimè potui, tantùm indicaui. Meritò commilito meus D. Ioachimus Perion.in D.Ioãnis vita ne attigit quidem, & viduam facit,quam iſti vxorem fingunt, & quidem viro Andronico etiam fideli coniugale debitum negantem. Sed hoc huiuſmodi apocryphis ferè commune eſt, vt matrimonia vel conſummata,religionis ergò ſeparent. Si quem tamen exempla, quò rariora, eò plus iuuant, habet ſimile de Periandro & Meliſſa Herodoti Terpſichore, ſiue lib. 5. vnde prouerbiale ænigma,quo quàm licuit caſtè & verecundè vſus ſum. Idem contigiſſe in Clauellorum familia, author eſt in Picentibus,lib.6. Geographiæ Velaterranus. Et vtinã monſtra hæc vitæ, non exempla, nulla magis eſſent, quàm ſingularia. Vt ad Druſianam reuertar, Eius nec in Ioanne meminit Simeon Metaphraſtes,nec in hiſto ria Nicephorus. Catalogus SS. lib.2. cap.7. Apoſtoli diſcipulam, neſcio quem ſecutus, flentibus propinquis, orphanis,viduis, quibus viua miniſtrabat, donatam, ac etiam redonatam refert. Et hunc,opinor, quia meliorem non haberet, ſequens Capnion de verbo mirifico,lib.3.cap. 18. Apoſtoli & Sanctorũ hoſpitam à mortuis hac eius tãtum voce ſuſcitatam, IESVS

CHRISTVS excitet te Druſiana: ſurge, & vade domum, mihi paratura cœnam. Breuiter, fuit ſua Ioanni Druſiana, vt Petro Tabitha.

IN THECLAM.

Non eram neſcius, cùm hæc ſcriptitarẽ, librum qui appellatur, vel potius appellabatur, Theclæ & Pauli, nec enim nunc extare puto, inter apocrypha olim iam fuiſſe reiectum, in can. Sancta R. E. Diſt. 15. neque tamen nullam puto aut non ſuam Paulo fuiſſe Theclã, cuius adeò multi veteres Græci Latiníque meminerint Orthodoxi. Epiphanius obiter contra Collyridianos, & rurſum contra Antidicomarianitas: Thecla, inquit, in S. Paulum incidit, & à nuptiis exoluitur, cùm curatorem, ſiue ſponſum haberet formoſiſſimum, virum vrbis primarium, valdè diuitem, generoſiſſimum, ac vita illuſtriſſimum, quæ & terrena contempſit, vt cœleſtium potens fieret. Chryſoſtomus quoq; homil. 25. in Acta, Thecla vt Paulum videret, aurum ſuum dedit, tu vt Chriſtũ videas, nec obolum das? Et homil. 22. ad Antiochenos, Quære Paulum tanquam Thecla, vt audias quæ per ipſum tibi dicuntur. Et in Chryſoſtomi vita Simeon Metaphraſtes, hanc Apoſtolo fuiſſe familiarem, in Barbaræ autem Protomartyrem appellat, quam perſecutores fugiẽtem, petra fortè occurrens diuino iuſſu diſrupta, ſinu exceptam ſeruarit. Cui etiam hoc, Protomartyris nimirum titulo, Zeno Imperator, quòd arcanis ei viſionibus imperij reſtitutionem confirmaſſet, ceu gratiam relaturus, Seleuciæ templum ampliſſimum condidit, & diuiter exornauit, autoribus, Euagrio lib. 3. cap. 8. cap. item 8. lib. 16. Ni-

cephorus. Eidem, ſcriptore Zonara, tom. 3. Iſaacius Comnenus Imp. ꝙ quo die quercus magno fragore lapſæ periculum effugerat, huius memoria celebratur, ædem condidit, ſed talem, quæ magnam eius animi pu ſillitatem argueret, quam eius ſobrinus Imp. Ioannes Alexij filius, magnificè inſtaurauit, nomine Seruatoris noſtri IESV CHRISTI. Martyrologium Venerabili Bedæ inſcriptum, 8. Cal. Mart. in Nicomedia, 9. Cal. Octob. in Iconio ciuitate, narrat hanc Pauli diſcipulam ſub Nerone Imp. pro Chiſti nomine igni traditam, non exuſtam, pòſt ſerpentibus atque beſtiis deputatam, ſed illæſam, Seleuciæ tandem cum duplici virginitatis & martyrij corona ad Dominum migrauiſſe, cum hoc in Ephemeride verſiculo,

Nonum Thecla tenet roſeo perfuſa cruore.

Sed huius de Thecla carminis ampliorem, quàm ſuperiores materiam nobis ſuggeſſit D. Ambroſius multis locis, cuius etiam verba quàm optimo verſu potuimus, hoc eſt, non admodum bono, reddidimus, ex lib. 2. & 3. de Virginib. & epiſtola 7. & 82. ſi cui vacat noſtros verſiculos cum proſa Ambroſiana conferre. Si quis meliora volet, legat Nazanzeni Græca, quæ in carmine quod inſcripſit, Documẽta virginibus, Aldus ſic vertit ad verbum,

Quis Theclam ſeruauit ex igne, quæ vinxit
Ferrarum crudiuorarum robuſtum animum, quippe
ingens miraculum,
Virginitas & feras ſopiuit, neque ſuſtinuerunt
Virginis corpus ſanctum ſuis genis maculare.

Et in carmine Monitorio,

Quem niſi Deo Thecla cum ſancta,
Angelum veritatis, &c.

Et obiter oratione I. in Iulianum, eiuſdem meminit inter eos qui contra ignem, ferrum, beſtias, & tyrannos alacriter decertarunt. Monodia quoque in S. Athanaſium, Primò quidem in ſanctæ & egregiæ virginis Theclæ Seleucia, Synodus congregata eſt. In S. Cyprianum, de virgine quadam quæ ad Deum confugit, qui Theclam ſaluauit à proco tyranno, & patre magis etiam tyranno. Et in Exhortatoria ad virginem, Noſti quemadmodum Thecla ex igne & à feris ſit erepta. Quem etiam in eius vita Gregorius preſbyter Seleuciam profectum refert, ibíque apud virginum ſanctę Theclæ domicilium habitauiſſe. En etiam tum, hoc eſt, ante tot annorum centenarios, Sanctimoniales ad noſtræ Theclæ memoriam & imitationem excubantes, vt nihil ſit, quod virginis à tot vtriuſque linguæ patribus celebratæ nos pigere aut pœnitere poſſit ac debeat. Quin iis omnibus anterior D. Cyprianus ſub die paſſionis ſuæ ſic oraſſe fertur, Aſſiſte nobis Domine, ſicut Apoſtolis in vinculis, Theclæ in ignibus, Paulo in perſecutionibus, Petro in fluctibus, Libera me de medio huius ſeculi, ſicut liberaſti Theclam de medio amphitheatro. Adonis item Treuerenſis Collectaneis, citante D. Lipomano inter Sanctorum patrum vitas tom. 4. nonnihil adiuti ſumus. Nam quòd eam quidem tota vita ſic ab Apoſtoli lingua pependiſſe circunferunt, vt vel tonſa coma de habitu mutando cogitarit, ita liberius ſecutura, id verò & vtroque indignum, & ceu nec veriſimile quidem repuli, quódque qui renarrat ex Vincentij ſpeculo hiſtoriali, lib. 10. cap. 47. Antoninus part. 1. titul. 6. cap. 28. §. 5. dum inter apocrypha numerat, fidem ſuam vtcunque liberat. Hîc ergo valeat, vt aiunt, quod valere poteſt,

quod Hieronymi nomine ad Oceanum de vita clericorum, & rurſus in vita monachorũ, cap. De caſtitate ſic legitur, Thecla poſt tentationem paſſionis Antiochiæ, cum Paulo prohibetur pariter pergere: nemo miles cum vxore pergit ad bellum. Idem certè in vita D. Lucæ Περιόδους Pauli & Theclæ inter apocrypha computat, ídque ex Tertulliano eorum temporum vicino, referente preſbyterum quendam Pauli ſtudioſum, conuictum apud D. Ioannem quòd autor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe. Sic autẽ habet ad finem libri, de Baptiſmo Tertullianus, Quòd ſi quæ Pauli perperam ſcripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi, tingendíque defendunt, ſciant in Aſia preſbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, conuictum atque confeſſum id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe.

IN IPHIGENIAM.

a. Satis conſtat tum ex hiſtoriis Eccleſiaſticis Euſebij & Ruffini lib. 3. cap. 1. & lib. 10. cap. 9. tum ex Martyrologiis, D. Matthæo, qui præ omnibus ſanctis hoc habet priuilegium, vt idem Apoſtolus & Euangeliſta ſit, & martyr, in ea diſperſione ſeu diuiſione orbis terræ, quæ ad prædicandum Dei verbum ſorte per Apoſtolos celebrata eſt, Æthiopiam obueniſſe. De Iphigenia verò per eum velata, conſecrata, & ducentis amplius virginibus præpoſita, nihil, vt ingenuè fatear, habeo, præter hiſtoriam Apoſtolicam, quæ anno 1552, prodiit, titulo Abdiæ Babyloniæ epiſcopi Apoſtolorum diſcipuli, Iulio Africano, cuius ſubinde meminit

Hieronymus, interprete, ſi credere dignum eſt: nam is bona ex parte aliquandiu antea, nimirum anno 1531. aliter perſonatus prodierat, hoc nimirum titulo Anonymi, Philalethi Euſebiani in vitas, miracula, paſſionéſque Apoſtolorum Rhapſodiæ. Sed hunc, quiſquis fuit, Abdiam, quàm eſt argumento, quod ſcribendum ſuſceperat, parum dignus, Romani inquiſitores, qui alioqui ad tam multa cōniuent, nuper ſub Paulo IIII. cenſoria virgula meritò notarunt. Verùm hîc verſiculos cudimus, non articulos: & hiſtoriolam, ſi non authenticam, at certè veriſimilem, locis aliquot piis, atque inſtituto noſtro non indignis, illuſtrauimus: qualis eſt, nuptiarum & virginitatis, & rurſum virginis atque martyris comparatio.

b. Peræquè parum authentica eſt, quæ tamen apud Æthiopes hodiéque habetur, ſanctiſſima & probatiſſima narratio, Reginam Saba nominę Maquedam, Solomonis fama euocatam, ad eum profectam, ab eodē in lege ac prophetis eruditam, atque adeò matrem factam, filium peperiſſe, cui primùm Meilech nomen fuerit, quíque vbi adoleuiſſet, ad patrem remiſſus erudiendi gratia, coram archa fœderis rex Æthiopum cōſecratus, Dauid vocatus ſit, aui nimirum nomine, & in patriam ad matrem reuerſus, longè latéque regnarit, regnandi iure fœminis (quod tum in more erat) ſublato, & recto tramite ad maſculos tranſlato, ſic vt iam inde in hunc vſque diem, elapſis interim annis plus minus bis mille ſexcentis, in Æthiopię regno mares ſucceſſerint. Fœlices vtique, ſi ita res apud eos habet: ſed multo fœliciores, ſi (quod habet de illorum fide, religione, & moribus Damianus Goës, ex eorum aliquot ad illuſtriſſimos Luſitaniæ Reges legationi-

bus) Chriſtianis ferè reliquis omnibus prius ab Eunucho Candacis reginæ, cui nomen Indich, per Philippum Diaconum baptizato, baptizati, Chriſtiani nunquam eſſe deſierunt, ſed in fide ab eo ſemel accepta, omni ſequẽti tempore fortes perſtiterunt. Nam quod apud eos fœminæ iam tum à Solomonis tempore regnare deſierint, firmum non eſt, cùm tantò pòſt Strabo, ſuo, hoc eſt, Auguſti tempore, Reginam Candacen Æthiopibus imperauiſſe autor ſit, lib. 17. virilem ſanè mulierem, ſed altero oculo captam. Et Plinius lib. 6. cap. 29. Regnare, ſcilicet retulerunt, fœminam Candacen, quod multis iam annis nomẽ ad reginas trãſiit. Vterque propius Apoſtolicam vt tempeſtatem, ſic hiſtoriam, quæ Candacen Eunuchi dominam, & Eunuchum Candaces aulicum facit.

c. Regni porrò caput, iiſdem qui & vbi ſuprà autoribus, lib. item 1. & 16. Strab. & Plin. lib. 2. cap. 73. & lib. 5. cap. 9. Vrbs inquam Æthiopum clariſſima, ſiue Metropolis, Meroë ciuitas, eodem nomine quo & inſula in Nilo maxima, Ioſepho Antiquit. lib. 2. cap. 5. primùm Saba gentis Regia vetuſtiſſima, Moſis tempore, pòſt à Cambyſe de ſuæ vel ſororis vel vxoris nomine Meroë, vocata. Et Auſtri verò Reginam illam, Ægypti Æthiopiæque Reginam idem facit lib. 8. cap. 2.

d. Quod autem Æthiopas etiam Indos vocaui, veteres hîc ſum ſecutus, poëtas prꝯſertim, quibus vtriuſque gentis, pro coloris forſan ſimilitudine, nomen eſt promiſcuum. Nam Virgilius & Æthiopas Indorum nomine intellexit, de Nili ortu loquens. 3. Georgicon:

Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,

Vſque coloratis amnis deuexus ab Indis.

Et Æthiopum contrà nomine, Indos, lib. 1.

Quid memorem Æthiopum molli canentia lana
Vellera? &c.

Et Martialis lib. 7. Epigrammate 29.

Nauigat à rubris & niger Indus aquis.

Et qui Andromedæ patriam Indiam facit aliquoties Ouidius, vt in Tabitha obſeruauimus, Idem 4. Metamorph. de Perſeo ſic cecinit,

Æthiopum populos, Cepheáque conſpicit arua,
Illic immeritam maternæ pendere linguæ
Andromeden pœnas iniuſtus iuſſerat Ammon.

Et quoniam Plinius vbi paulò antè ſcribit Ægyptiorũ bellis attritam fuiſſe Æthiopiam viciſſim imperitãdo ſeruiẽdóque, & Syriæ imperitaſſe eam, noſtróque, ait, littore ætate Regis Cephei patet Andromedę fabulis. Ita conciliari poſſunt veteres, quorum alij mulierculam hanc Indicam, Æthiopiſſam alij, alij Ioppenſem fuiſſe voluerunt. Certè quod in Tabitha mihi non occurrebat, Philoſtratus in Iconibus lib. 1. Perſeum Gręcum hominem pingit in Æthiopia, cetum cui expoſita fuerat Andromeda, Athlãticum occidiſſe, eiúſque pro littore eiecti ſanguine, ſeu fonte ſcaturiente, mare factum rubrum.

c. Sic D. Dionyſius de diuinis nominibus cap. 4. part. I. numero 58. contra quoſdam ſuperſtitiosè ſcrupuloſos, qui Amoris inter Chriſtianos vocabulum in ius trahebant, præter multa quæ in ſacris literis amatoria celebrantur: Viſum, ait, eſt pleriſque ex tractatoribus noſtris ſacriloquis, ſic enim beatus pater Sanctos vocat, qui tempore ſuo pia & ſacra ſcribebant, diuinius & ſacratius eſſe nomen amoris quàm dile-

ctionis. Scribit enim diuinus Ignatius, Amor meus crucifixus eſt. Et in primis ſcripturarum inſtitutionibus, inſtructionibus, ſeu introductionibus, quendam de diuina Sapientia dixiſſe comperies, Amator factus ſum formæ illius, Sap. 8. Non ergo metuamus amoris nomen, neq; nos is ſermo perturbet, aut terreat. Mihi enim videntur Theologi commune quidem feciſſe, ac pro eodem ſumpſiſſe dilectionis & amoris nomen, diuinis tamen magis hoc quàm illud aſſignaſſe, ad animos noſtros à carnali & mundano amore, qui verus amor non eſt, ſed eius imago valde remota, vel potius ab eo prolapſio, ad eiuſdem veri & ſuperni amoris notionem ſubuehendos atque promouendos. In nobis autem rurſus, cùm de rebus humanis fit ſermo, & locus occurrit, vbi carnales & craſſiores quique homines neſcio quid obſcœnum, laſciuum, petulans ſuſpicari poſſent, honeſtiore, vt videtur, vocabulo dilectionis vtitur. Cecidit enim, ait quidam, dilectio tua ſuper me, ſicut dilectio mulierum. Et id tamen apud eos qui diuina rectè audiunt & intelligunt, tantundem valet, & indifferenter à Theologis ponitur, cum diuina tractant. hæc ille. At verò quæ citat Dauidis Ionathan amicum deplorantis & deſiderantis, lamenta, hodiéque aliter leguntur: ſic nimirũ & in Hebræis & apud L x x. Doleo ſuper te, decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum, ſiue, quo ſcilicet amãtur, vel amãt maritos aut liberos ſuos, &c. 2. Reg. 1. Eſt autẽ locus in epiſtola Ignatij ad Romanos, Scribo vobis viuus, & amore captus propter Chriſtum moriendi, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσαύρωται. Quem locum qui anno 1559. ſic reddidit & edidit, Quicquid præter hunc, Chriſtum, vſquàm fuit amabile ac gratum mihi, crucifixum eſt, & morte

Chriſti deletum, non infideliter quidem ſcripſit, ſed nec fideliter reddidit: nam præterquàm quòd παρα-φράζειν eſt, & non reddere, ita vertere, ſcribentis mẽtem minus videtur aſſecutus, ac proinde nec ſecutus. Sentit enim S. martyr de amore, qui Chriſtus eſt crucifixus, nec dubiũ quin cum eo omnes omnium verè in eum credentium amores ſint concrucifixi, Galat. 6. Quo etiam ſenſu legitur apud Ambroſiũ lib. de Iſaac, cap. vltimo, Charitas itaque noſtra Chriſtus: bona charitas, quando obtulit morti ſe pro dilectis: bona charitas, quæ peccatum remiſit. De iis igitur voculis ita prologo ſuper Cantica Origenes, Sicut dicitur aliquis carnalis amor, quem & Cupidinem appellauerunt poëtę, ſecundum quem qui amat, in carne ſeminat: ita eſt & quidam ſpiritualis & cœleſtis amor, ſecundum quẽ interior homo amans, in ſpiritu ſerit. Videtur autem mihi ſcriptura diuina, dum cauere vult ne quis lapſus legentibus ſub amoris nomine naſceretur, pro infirmioribus quibuſque, eum qui apud ſapientes ſeculi Cupido ſeu Amor dicitur, honeſtiore vocabulo charitatem vel dilectionem nominaſſe, vt in eis qui ibi citantur locis, & in pluribus aliis inuenies ſcripturam refugiſſe amoris vocabulum, & charitatis dilectioníſque poſuiſſe. Interdum tamen, rarò licet, proprio amoris vocabulo, ad eum inuitat & incitat, vt Prou. 4. Adama ſapientiam, & ſeruabit te: imò & hîc, Dilige, hodie legimus: nam vbi nulla lapſus occaſio, ibi nomen amoris inſeruit. Quid enim aduerti indecorum poteſt in Sapientiæ amore vel amatore? Nam ſi dixiſſet, quòd adamauit vel Iſaacus Rebeccam, vel Iacobus Rachelem, aliquod fortaſſe indecorum per hæc verba in ſanctos Dei homines potuiſſet intelligi, apud eos præ-

cipuè, qui neſciunt à litera conſcendere ad ſpiritum. Apertiſſimè autem in Canticis, amoris & charitatis vocabula permutantur. Nihil ergo intereſt charitas dicatur, an amor, an dilectio, niſi quòd intantum nomen charitatis extollitur, vt etiam Deus charitas appelletur: Deus, inquam, Pater charitas eſt, & Filius charitas eſt, ſed & Spiritus ſanctus charitas eſt. De quo in Sententijs Theologicis lib. 1. Diſt. 10. Sic ergo quæcũque de charitate ſcripta ſunt, quaſi de amore dicta ſuſcipe, nihil de nominibus curans, eadem nanque virtus in vtroque oſtenditur, &c. Nec intereſt amari Deus dicatur an diligi. Nec puto culpandum, ſi quis Deum, vt Ioannes 1. cap. 4. charitatem, ſic & amorem nominet. Denique memini aliquem ſanctorum, Ignatium nomine, dixiſſe de Chriſto, Meus autem amor crucifixus eſt: nec ob hoc reprehendi dignum iudico. Hæc ſiue Origenes, Hieronymo interprete, ſiue magis Latinus quiſpiam pulchrè doctus & bene diſertus, ſic Eraſmo colligente, cùm ob alia, tum ex ſuperiorum vocabulorum Charitatis, Amoris, Dilectionis, & Cupidinis diſtinctione.

f. Ex Hieronymi lib. & quæſt. 1. in Iouinianũ, Quid referam Sibyllas, quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium diuinatio? Quòd ſi Æolici genere ſermonis Sibylla θεοβούλη appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas. Vbi Scholion, Æoles pro θεοὺς dicunt σίους & βουλὴ, vnde & pro θεοβούλη σιοβούλη dicunt, quod ſonat, quaſi dicas, diuini conſciam conſilij. ſequitur Petrarcha, rerum memorandarum libro 4. cap. 3. dè diuinatione.

Ex eodem ibidem paulò pòſt.

g. Scribit Timæus Pythagoræ virginẽ filiam choro

virginum præfuiſſe, & caſtitatis eas inſtituiſſe doctrinis. Ea Damo vocatur à Laërtio, lib.7.

IN SVSANNAM.

a. De hac Rhythmum Gallicum concinnum & elegantem inconcinnè & ineleganter, & vtcunque, pro meo more, rure ante plus decennium verteram, nihil minus quàm de publicando tunc cogitans. Verùm ne nihil agerem, ſtylum ita obiter exercens: ſic enim ſtudia promoueri ſolent, gallicis latinè, vt latinis gallicè vertendis: & conſtitueram Rhythmum è regione verſionis appingere, ſic vel inuentorem agniturus: ſed ſecus viſum eſt typographis, quòd verſiculorū numerus alicubi impar eſſet. Viſa tamen viſitatoribus eſt hæc verſio nō prorſus indigna, quæ nunc tandem in lucem exiret: & Iudaica Matrona, tempore licet prior, Heroinas tamen noſtras, quæ noui teſtamenti prærogatiua eam præcellunt, affectaretur. Neque verò lectorem moueat, quod D. Hieronymus Suſannæ modò hiſtoriam, modò fabulam vocare videatur in Catalogo ſcriptorum illuſtrium, & vtraque tam in Danielē, quàm cōmentariorum in eum præfatione. Nam Ruffino eum ob id criminanti, quaſi prophetæ partem hanc, quæ caſtitatis exemplum præbeat Eccleſiis, abſcidiſſet, abieciſſet, ac poſthabuiſſet, reſpondet non ſe quid ex ſe ſentiret, ſed quid Hebræi contra nos dicere ſoleant, retuliſſe. Et idem antea Porphyrio nobis obiicienti, Greci ſermonis eſſe commentum, Euſebius & Apollinarius agnouerant in Hebræo non haberi, ſed, quorundā ſententia, partem eſſe prophetiæ Habacuc filij Leui, nec ſcripturæ ſanctæ autoritatem præbere. Verùm

Verùm in Iulium Africanum idem dicentem, & hanc hiſtoriam velut fictam, & à prophetico ſpiritu alienam videri proponentem, Origenem doctè pleniſſiméque ſcripſiſſe idem poſt Euſebium autor eſt, nequaquam Iudæorum fraudibus auſcultandum, ſed id pro vero habendum quod L X X. interpretes tranſtuliſſent, nam id autoritate Apoſtolica confirmatum eſſe. Sic enim habet prima, ſeu Ruffini, Euſebianæ hiſtoriæ verſio. Hanc ergo ſcripturam germanam eſſe, non adulterinam, ſed quæ ſcilicet plurimum vtilitatis afferat. Et Origenis quidem hæc nõ extat epiſtola, ſed inter eius quæ extant opera, bis omnino, quod meminerim, occurrit, 31. tractatu in Matth. ad cap. 24. Auſi, ait, ſumus vti Daniëlis exemplo contra preſbyteros malos, non ignorantes, quòd in Hebræo id poſitum non eſt, ſed quoniam in Eccleſiis tenetur. Et homil. 1. in Leuiticum, Tempus eſt nos aduerſus improbos preſbyteros vti ſanctæ Suſannæ vocibus, quas illi quidem repudiantes, eius hiſtoriam de catalogo diuinorum voluminum reſecarunt. Nos autem & ſuſcipimus, & opportunè contra eoſdem proferimus. Sed omnes Græci Latiníque Orthodoxi, tam ante quàm poſt motam de hoc Daniëlis fragmento litem, ſanctam hanc matronam, & prophetæ de eius caſtitate iudicium vno velut ore concelebrãt. Ignatius ad Magneſianos, Daniël, ait, ſapiens, vixdum duodennis, ſpiritu diuino plenus, Senes illos ſiue Senatores, canitiem nequicquam gerentes, calumniatores & alienæ formæ inſidiatores conuicit. Exaudi (orabat ſub ipſo paſſionis die D. Cyprianus) me orantem, ſicut exaudiſti Suſannam inter manus ſeniorum: ſic me liberes ab hoc ſeculo, quia tu es amator puræ conſcientiæ. Clemens

lib.5. Stromaton, Taceo Suſannam, quæ per ſummam honeſtatem ad mortem vſque procedens, cùm ab intemperantibus condemnaretur amatoribus, firma & conſtans pudicitiæ teſtis perſtitit. Chryſoſtomus homiliam quandam inter eas quæ incerto feruntur interprete ad finem tomi I. de ſancta Suſanna inſcribit, & ſic incipit, Diuinæ lectiones & ſancta Dei oracula quæ inſonuerunt auribus veſtris, nidulentur in mentibus veſtris. Audiuimus de Suſanna lectionem, Ædificetur pudicitia coniugalis, &c. Non cōſtat, inquit Nyſſenus De philoſophia lib. 5. cap. 1. quid pro quo eligendum: oportet tamen, vt plurimum, præ turpibus triſtia eligere, vt Suſanna & Ioſeph fecerunt: quos etiam coniungit & plenè deſcribit libellus De diſciplina & bono pudicitiæ, inter Cypriani opera inſertus. Et lib.8.cap.1. prouidentiam ex Suſannæ liberatione probat. Qualium, inquit, hiſtoriarum pleni ſunt Hebræorum libri: Talis enim eſt in ſcriptura noſtra Suſannæ perpeſſio. Nazianzenus oratione funebri in S. Cyprianum, Confugit ad Deum, qui Suſannam ab amarulentis ſenibus liberauit. Et in documentis ad Virgines ſic cantat, Aldo vertente,

Nec verò ſanctæ obliuiſcar, non enim decet,
Suſannæ, licet ipſam ſub iugum duxit vir,
Caſtitatis quæ tantum habet diſideriū, vt fugientem
Manus illegitimas, ſuffragiíſque iniuſtis iudicum
Ad mortem tractam olim à morte ſeruauit
Spiritus iuuenis cani mente, conſilio grauis,
Recti iudicis, vincientis ſuis ſermonibus
Seniores Babylonis, delinquentiſſimos, infandos.

Paſſim autem Ambroſius lib. 2. de Virginibus, Suſanna ad ſuppliciū genu flexit, & de adulteris trium-

phauit.lib. de viduis, Non noſtra hæc (de triplici caſtitate, coniugali, viduali, virginali) præcepta, ſed diuina teſtimonia docent. Reminiſcamur vt Maria, vt Anna, vt Suſanna laudantur, vbi repertæ, vbi commoratæ. Nupta in paradiſo, ſiue in horto, vidua in tẽplo, virgo in ſecreto. Fuſiſſimè autem lib. de fuga ſeculi, cap. vlt. De Spiritu ſancto lib. 3. cap. 7. Sermone 49. 50. obiter in pſal. 118. ſerm. 17. verſu 6. ſerm. 20. verſ. 4. Auguſtinus quoque lib. 2. de ſermone Domini in monte, ad id Matth. 6. Et ne nos inducas in tentationem: Ioſeph tentatus eſt illecebra ſtupri, ſed non illatus eſt in tentationem: Suſanna tentata eſt, nec inducta vel illata in tentationẽ. Tract. 36. in Ioãnem, Suſanna caſta fœmina, fidelíſque coniux, duobus falſis teſtibus vrgebatur, cui trinitas in conſcientia ſuffragabatur, de occulto vnum teſtem Daniëlem excitauit, & duos conuicit. Quem locum pro ſuo more ſuppilauit Beda in Ioan. cap. 8. Et quem corripientem malui, quàm Mantuanum producentem, ſequi, Claudianus Auguſtini contemporaneus ad Iacobum magiſtrum equitum,

Sic tibi det vires ſancta Suſanna ſuas.

Habemus Suſannam vt à mœchis, ſic ab apocryphis ſatis vindicatam, vt nihil neceſſe ſit ad poſterioris æui ſcriptorum teſtimonia deſcẽdere, cùm tanto anteriores hiſtoriam vti ſanctam diuinámque lectionem, ſcripturam, & hiſtoriam ſuorum temporum eccleſiis proponant atque commendent.

b. f. Quod hanc matremfamiliàs, initio ſtatim virginem, & circiter finem, puellam vocaui, ne quis contrà pro idiomate gallico putet hæc eſſe ſemper ætatis atq; integritatis nomina, obſtát cùm alij Latinè loquẽ-

tes,tum Horatius,apud quem occurrunt non modò,

Iam virum expertæ, ſed

Et laborantes vtero puellæ.

Lib.3.Carminũ,Ode.14.&22.Seruius item 11.Æneid. obſeruat, vſum ſic obtinuiſſe, vt innuptas virgines, nuptas mulieres vocemus: nam apud maiores indiſcretè Virgo dicebatur & Mulier, vtrunque enim, ſexum tantũ ſignificabat,vt ecce hoc loco dicit poëta,

Aduenit qui veſtra dies muliebribus armis

Verba redargueret, telo cecidiſſe Camillæ.

quam innuptam fuiſſe manifeſtum eſt, & virginem. hinc paulò pòſt,

Hæc ſatur virgo,&c.

Item in Bucolicis legimus Eclog.6.de Paſiphaë,

Ah virgo infœlix!

quam conſtat ex Minoë ante Tauri amorem filios ſuſcepiſſe. Virgo enim à viridiore ætate appellatur, nam & iam mater fuerat. Terentius quoque mulierem poſt partum virginem vocat in Hecyra.Act.3.Scen.3.

Nam vitium eſt oblatum virgini olim ab neſcio quo improbo. etiamſi hunc locum aliter videtur Donatus intelligere.

c. d. e. Scriptura ſacra,præſertim vetus,vt mortuos non ſolùm bonos, ſed etiam malos dicebat cum patribus,& ad populum ſuum colligi apponíque: ſic nõ ſolùm malos, ſed etiam bonos, ad inferos deduci ac deſcendere, non ſepulcri tantùm,ſed eodem,quo antea populum, ſinus patrum antè mortuorum, quem etiam Limbum vocant, ſignificatu. Ne quis putet gehennam eo nomine ſemper,non ſolùm ſæpè ſignificari, vt cum quanta poſſum reuerentia, vehementer mirer D. Auguſtinum ad Euodium epiſtola 99. ſcri-

pſiſſe,inferos nuſpiam ſcripturarum in bono appellatos reperire potuiſſe. Itaque ſinum illum Abrahæ, ſecretam cuiuſdam quietis,imò & nõnullius fœlicitatis habitationem,non fuiſſe inferorum partem aliquam, & quaſi membrum. Nec enim , niſi valdè fallor , de ſepultura tantùm dicebat Iacob ſe ad inferos deducendum Gene.37.42.44.aut non aliò quàm ad tumulum ſpectabat Eleazarus,dicens,velle ſe præmitti ad inferos, 2.Mach.6. & de Chriſti anima, quæ carni vtique non conſepulta eſt, ſcriptum eſt, Non derelinques animam meam in inferno, pſal.15.Act.2. Vnde Hilarius vir non minus pius quàm diſertus , verſiculum, pſal. 118, Quando conſolaberis me? exponit de ſanctorum in inferno quieſcentium deſiderio , quos nimirum etiam electos, poſt peractam iuſtitiam,inferni loca quamuis tranquilla,& clauſtra in ſinu tranquillitatis ſuſceptos tenebãt, ad amœna paradiſi,non antè, nec niſi mortis Dominicæ interpoſitione, aperienda, reducendos, vt concionatur Gregorius homil. 19. & 22. ſuper Euangelia & in pſal. 129. Sed & clariſſimè Hieronymus tum ex ſuperiore Iacob querimonia,tum ex Iob cap.7.& 17. pios & impios in inferno retentari conquerente,notat omnes,quamuis ſanctos,ante Chriſti aduentum verè in inferno fuiſſe, inferni lege detẽtos ad cap.3.& 9.Eccleſiaſtæ:& ſi quid clariſſimo adhuc clarius dici poteſt, Oſe 13. Infernum exponit, locum in quo animæ recluderentur,ſiue in refrigerio, ſiue in pœnis, pro qualitate meritorũ.In eũ ergo piorum ſpirituum , quos manes & vmbras dixi,poëticis quidem voculis,ſed minus tamen malè quàm inferorum audientibus,minúſque inuidioſis, cœtum,ac populum patrum maiorúmque ſuorum ſeſe receptum

iri optabat,ac etiam ſperabat ſancta matrona,cum eis Chriſtũ expectaturã,& ſimul ac is magis atque magis propinquaret,de eius die gauiſuram,Ioã.8.donec qui fuerat dux patribus in deſerto, ſpiritalis & myſtica PETRA,1.Cor.10.Chriſtus, eis in regione ac vmbra mortis ſedentibus & habitantibus, iuxta quod etiam promiſerat,Eſa.9.illuceſceret,Luc.1. Et ſic enim ſpiritibus qui in carcere erant,prædicatũ, & mortuis euãgelizatum Chriſtum,quidam,1. Petr.3.& 4. exponũt. Sed deſino me pluribus,& quidem obſcurioribus inuoluere. Prioris autem Hebraiſmi, quo populus pro populariũ & patrum cuiuſque ſuorum ſinu, ſeu limbo capitur, loci extãt,Gen.25.35.49.Nu.20.27.31. Deut. 32.33.1.Machab.14.De morte patriarchę Iacob,Aaronis, Moſis & Ionathæ Machabæi. Nec deerunt alij loci ſtudioſis ſcripturarum. Verùm hîc ſit Scholiorum finis. Lectorem interim,

Si quis tamen iſtius vnquam
Libri lector erit,

oratum velim, vt noſtris qualibuſcunque legendis, tantum candoris afferat, quantum mei, eiúſque mecum hoc calamitoſo tempore vtut conſolandi gratia, ſtudioſæ voluntatis, his tornandis, & malè tandem tornatis verſiculis, habui. Lutetiæ, ex ædibus Rhemæis ineunte anno 1564.

Excudebat Federicus Morellus, Anno M. D. LXIIII. Menſe Ianuario.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE